MASTER NEGATIVE
NO. 93-81297-3

AUTHOR:

HENNIG, HERMANN

TITLE:

DE IPHIGENIAE AULIDENSIS FORMA...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1870

Master Negative #

93-81297-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hennig, Hermann,
De Iphigeniae Aulidensis forma ac condicione. Scripsit Hermannus Hennig. Berolini, Apud Weidmannos, 1870.
191 p.


Thesis, Berlin.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4-15-93 INITIALS MGG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202










MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.




IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN
SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI

DE

IPHIGENIAE AULIDENSIS

FORMA AC CONDICIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS BEROLINENSIS.

SCRIPSIT

HERMANNUS HENNIG.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXX.

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORI

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUI.

Iphigeniam Aulidensem quam volgo dicimus actam esse traditum est post mortem Euripidis (schol. Ran. 67.): unde necessario idem concluditur quod merito ex eis quae Ran. vers. 868 sq. ed. Dind. Aeschylum dicentem fecit Aristophanes [1]) colligitur, certe duobus mensibus postea quam Aristophanes docuit Ranas, id quod compluribus mensibus post mortuum Euripidem factum esse constat, hanc tragoediam in scenam delatam esse. namque diem supremum Euripides obiit incunte ol. 93. 3, archonte Callia [2]), Ranae autem acta est eiusdem anni Lenaeis [3]), quae duobus mensibus antecedebant Dionysiis magnis [4]).

---

[1]) *ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,*
τούτῳ δὲ συντέθνηκεν.
cf. Boeckh. Graecae trag. principes. Heidelb. a. 1808. p. 213 sq.

[2]) Boeckh. Gr. tr. pr. pag. 209. cf. pag. 212. Nauck. De Eurip. vita (fabular. edition. Teubn. vol. I.) not. 3. Marmor Parium secutus postea Boeckhius eiusdem olympiadis anno altero Euripidem obiisse censuit (vid. C. J. II. pag. 342.), quod nescio an immerito factum sit. et G. Dindorfius in Prolegomenis ad Poetar. scen. ed. V. nuperrime editis (pag. 14.) diserte chronographum Parium errasse dixit. ceterum utcunque statuemus hac de re, Iphigeniam Aulidensem et quas una cum hac in scenam detulit minor Euripides maioris fabulas actas esse constat post Ranas, quoniam ex eiusdem commoediae versibus modo citatis luculentissime apparet quo tempore comoediam illam docuerit Aristophanes nullam dum spectatam fuisse tragoediam Euripidis mortui.

[3]) Argum. Ran. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια.*

[4]) Pluribus primus, quantum equidem scio, haec pertractavit totamque causam composuit Boeckhius Gr. tr. pr. pag. 209 sqq. mira argumentatione usus est Firnhaberus (Eurip. Iph. in Aul. Lips. a. 1841. pag. XLII.—LXIV. prae ceteris mira sunt quae exposuit pag. LV. sqq.) qua

Scholion enim illud Aristophaneum quo utimur in tempore quo haec tragoedia acta sit statuendo hoc est: *οὕτω δὲ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμωνύμως ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι Ἀλκμαίωνα Βάκχας.* qui igitur haec adnotavit auctore usus est certissimo ac fide dignissimo, qui monumentorum publicorum ex fontibus hausit, Aristotele. quare, si quidem eum commenta sua Aristotelis nomine tanquam munisse non modo convincere sed ne suspicari quidem possumus, nulla est causa ei diffidendi, sed et hoc pro certo habendum est, Iphigeniam Aulidensem mortuo Euripide actam esse post Aristophanis Ranas, et nullo huius comoediae loco rationem haberi potuisse tenendum est illius quidem tragoediae.

Sed eiusdem comoediae ad vers. 1309 sqq. haec habes a scholiasta adnotata: *διὰ τοῦ στωμύλλετε πάλιν εἰς αὐτὸν παίζει. ἐξ ἄλλων δὲ καὶ ἄλλων Εὐριπίδου δραμάτων κόμματα τίθησι καὶ οὐδὲν κατὰ τὸ ἑξῆς λέγει μέλος. ἔστι δὲ τὸ παρεγκείμενον ἐξ Ἰφιγενείας τῆς ἐν Αὐλίδι.* quod novum scholion, quoniam et tragoediam illam ante Ranas comoediam actam esse docet et quos in Aulidensi Iphigenia, qualis nunc est, frustra quaeris versus ex ipsa illa tragoedia sumptos esse statuere videtur, cum altero scholio, si utrique eandem habes fidem, non est quomodo concinat, nisi duas fuisse statuas Euripidis tragoedias quae eodem nomine inscriptae fuerint Iphigeniae Aulidensis. Quae autem ita orta est difficultas duarumque eodem nomine tragoediarum suspicio et eo augetur quod Aelianus N. A. VII. 39. haec scripsit, *ὁ δὲ Εὐριπίδης ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ·*

ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνθήσω φίλαις
κεροῦσσαν, ἣν σφάζοντες αὐχήσουσι σὴν
σφάζειν θυγατέρα,

Euripidis fabulam anno ante quam Aristophanes comoediam suam docuerit actam esse demonstraret (i. e. ol. 93. 2.). oblocutus est Bartschius censurae (N. Jahrbuech. vol. XXXIII. a. 1841. pag. 3.—30.) pag. 26 sqq.

et eo quod apud Hes. hanc habes glossam, *ἄθραυστα, ἀπρόσκοπα· Εὐριπίδης Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Αὐλίδι:* quorum neque hoc vocabulum neque illi versus in ea leguntur Iphigenia Aulidensi quae in nostris tradita est libris. etsi igitur quod ex Hesychii glossa quis sumat argumentum prorsus nullius momenti est, quoniam aut glossemate aliquo ista vocula facile ex poetae verbis remota esse potest aut in nomine laudando sive fabulae sive poetae errasse grammaticum probabile est, praesertim cum ei acciderit hoc v. *ἀπαρθένευτα:*[5]) quae tamen relincuntur argumenta firmiora videntur quam quae ab eis qui duas fuisse Iphigenias Aulidenses non concedunt videantur refutari posse. nimirum quae ab Aeliano citantur, eis non cogimur de duabus fabulis cogitare, sed mira illa repugnantia scholiorum, si neutri abiudicas auctoritatem, aliter tolli non potest: unde fit ut ex hoc qui duas fabulas fuisse colligit, optimo ei in hac sententia probanda subsidio sit illud.

Hac ratione primus usus videtur Boeckhius[6]). qui enim ante eum de huius fabulae fatis ac condicione quaesierunt, eos hoc quidem loco fugit quid de tempore quo acta sit tragoedia doceat nos et locus ille qui est Ran. vers. 868 sq. et Aristophanis scholiasta quidque, haec cum altero scholio si comparantur, colligi possit de duabus fabulis eiusdem argumenti. quare qui primus versus illi ab Aeliano ex Euripidis Iphigenia citati quomodo cum nostra fabula coniungi possint quaesivit, Musgravius, cum in eo offendisset quod nunc exordium anapaestis incipiat[7]), aliquo cum iure quidem hoc coniecit, verum prologum intercidisse, in quo et haec de supponenda cerva praedixerit

---

[5]) *Ἀπαρθένευτα· οὐ πρέποντα παρθένοις. Σοφοκλῆς Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Αὐλίδι.* at Eurip. Iph. A. 993. *ἀπαρθένευτα μὲν τάδ' κτλ.*

[6]) l. l. cap. XVII. pag. 214 sqq.

[7]) Eurip. tragg. etc. ex edit. Barnes. III. contin. Musgrav. not. etc. cur. Beck. Lips. a. 1788. pag. 273.

Diana[8]) et Hesychianum illud ἄθρανστα locum habuerit[9]), neque nimis mirandus est quod illud a scholiasta ad Ran. vers. 1309 sqq. adnotatum ita accepit ut quattuor versus (v. 1309.—1312.) ex Iphigeniae Aulidensis parodo, in qua ante versum 164. Euripides eos posuisset, ab Aristophane desumptos esse putaret integros[10]): Eichstadio[11]) tamen, etsi eam fabulam quae hodie legitur de iure monuit non posse eo de quo Musgravius cogitavit prologo instructam fuisse[12]), duas Iphigeniae Euripideae olim extitisse editiones, quarum in priore, quae interierit, praeter Dianae istum prologum quattuor illi qui ab Aristophane ex Iphigenia desumpti videbantur versus locum habuerint nullo modo licebat statuere.

Boeckhius vero, qui in eadem seutentia fuit in qua Eichstadius, duas fuisse editiones fabulae, maiori cum iure hoc quam ille conclusisse putandus est, quia maioris Euripidis illam trilogiam, Iphigeniam Aulidensem cum Bacchis et Alcmeone dico, ab Euripide minore ipse monuit doctam esse post Ranas comoediam ab Aristophane in scenam delatam[13]), quod misere cum eo discrepare quod in ipsa hac comoedia rideri videtur illa tragoedia non potuit fugere virum sagacissimum. Tamen nulla huius argumenti a Boeckhio mentio facta est, id quod eo magis mirandum est quia quae protulit argumenta ad sententiam suam

8) Non spurium dixit eum quem nunc habemus prologum, sed quod Euripides ei praemiserit initium tragoediae, scilicet quem proprie dicunt prologum, intercidisse putavit. nimirum Dianam coniecit ante quam ageretur fabula spectatoribus exposuisse eius argumentum.

9) l. l. ad vers. 57. De prologo deperdito adsensum patefecerunt Markland. in adnotationibus quibus fabulae initium instruxit, Prevostus in Théatre des Grecs, VII. pag. 121., D. Beckius in Diatrib. crit. de Rheso (Eurip. edit. Barn. Lips. III. pag. 444.—467.) § 8.

10) l. l. pag. 373.

11) De dramate Graecorum comico-satyrico. Lips. a. 1793. pag. 99 sq. not. 147.

12) Adstipulatus est Jacobsius, Nachtraege zu Sulzers allgemeiner Theorie der Kuenste. Lips. a. 1796. tom. V. pag. 401 sq. not. xx).

13) vid. l. l. pag. 213.

de duplici editione probandam ne ipse quidem vir doctissimus non potuerit non intellegere non modo ad demonstrandum sed ne ad suadendum quidem apta esse. Ut enim taceam de loco illo ab Aeliano citato, quem postquam ipse quoque ex tali prologo desumptum esse vidit qualis nostrae quidem tragoediae non potuerit praefixus esse[14]), cum Eichstadio hanc potissimum habuit causam duplicis statuendae editionis, quae addidit argumenta quibus magis etiam sententiam suam probaret alteris magis debilia esse apparet. nam quod in Alcmeonis fatis versatam tragoediam eam quae una cum Iphigenia Aulidensi unaque cum Bacchis acta est nihil aliud fuisse dixit quam eius de eodem Alcmeone fabulae quae cum Cressis Telepho et Alcestide[15]) in scenam delata est editionem alteram, duas tragoedias fuisse nunc quidem constat ex Alcmeone nominatas, quarum altera *Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφῖδος*, altera *Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου* inscripta erat, et falsus est Boeckhius cum ex hac fabula iterum edita item Iphigeniam Aulidensem et Bacchas[16]) utpote una cum Alcmeone actas tum temporis iterum in scenam delatas esse collegit. quod autem ante Tauricam, cuius exordium ab Aristophane ridetur Ran. vers. 1232 sq., Aulidensem Iphigeniam tam scriptam et doctam quam animo conceptam esse dixit, ut et res ferret ipsa et loci aliquot docerent Tauricae quibus ratio habita esset alterius Iphigeniae, quomodo item Andromachae, quam fabulam ol. 90. 2. actam esse concessit Sam. Petito[17]), nostram fabulam antecessisse suspicari cogeret Andromachae versus 625., quibus perpensis argumentis non posse dubitari quin maior Euripides ante ol. 90. 2. Iphigeniam Aulidensem docuerit[18]), quam postea iterum ediderit Euripides

14) l. l. pag. 216 sqq.

15) Argum. Eur. Alc.

16) Baccharum quoque duplicem editionem fuisse coniecit, qua de re uberius exposuit capp. XXIII. sq. pag. 297 sqq.

17) l. l. pag. 189.

18) Statuto hoc quo genuinae partes compositae sint tempore commodam paravit sibi rationem illas ab eis distinguendi quae minor Euripides

minor: utrumque illud argumentum ut parum caute conclusum ita prorsus nullius ponderis esse demonstravit Matthiaeus[19]), de priori idem monuit Welckerus[20]). denique bis fabulam editam esse Boeckhius demonstrare conatus est expendendis variis lectionibus[21]). sed inde quod petebatur argumentum omnium levissimum esse et ipsarum variarum lectionum docet natura, quare supersedeo singulis enumerandis atque refutandis, et recusavit Matthiaeus[22]), singulari autem libello reiecit Mauritius Seyffert[23]). Sed ne duplicis editionis quae Boeckhius attulit argumenta parum idonea esse probasse satis habeamus, altera editio tam ei quam Eichstadio ea visa est quae in nostris est manibus Iphigenia Aulidensis. hanc curatam esse putavit Boeckhius ab Euripide minore[24]), quem, cum in recensendis carminibus Homericis eum versatum esse coniciant, non solum prologi ex genuinis quibus ipse maior Euripides tragoediam exornasset partibus magna adhibita arte compositi formam invenisse singularem aliaque mutasse sed etiam parodum, quippe in qua praeter alia copiarum catalogus esset ad Homeri exemplum conscriptus, concepisse inque eum locum transtulisse existimavit quem antea ea obtinuissent quae sunt Ran. vers. 1309 sqq.,

ἀλκυόνες, αἳ παρ' ἀενάοις θαλάσσας κτλ.[25])

Post Boeckhium qui primus denuo quaestionem de forma tragoediae ac condicione habuit, Bremius, etsi sprevit quae Boeckhius attulerat argumenta, tamen ipse quoque statuit iteratam

---

inculcaverit. nimirum illae metricam artem produnt priscae tragoediae haec solutioribus illis metris composita sunt quibus inferioris aetatis poetae indulgebant. cf. cap. XX. pag. 259.—262.

[19]) Euripidis tragg. et fragmm. tom. VII. Lips. a. 1823. pag. 324 sq.

[20]) Die Griechischen Tragoedien. tom. II. Bonnae a. 1839. pag. 493.

[21]) cap. XXII. a pag. 276. extr. ad pag. 297. med.

[22]) l. l. pag. 324.

[23]) De duplici recens. I. A. quaestiunc. Hal. S. a. 1835.

[24]) cap. XVIII. pag. 225.

[25]) cap. XIX.

esse editionem[26]). Et profecto recte monuit de Boeckhii argumentis parum idoneis, quanquam nescio an merito dubitetur num recte explicaverit de eis quae scholiasta adnotavit ad Ran. vers. 1309 sqq. deque eis versibus quos Euripidis esse putarunt. summam vero laudem eo meruit quod perversam illam opinionem qua per triginta fere annos e prologo aliquo eos quos Aelianus citavit versus sumptos esse putarunt neque genuinus prologus dubitarunt quin aut totus intercidisset aut aliqua parte privatus esset detrahere viris doctis conatus est, qua in re adiuvantibus aliis tantum profecit ut hac quidem de re rursus ambigi non possit. nimirum versus illos ab Aeliano citatos demonstrabat ab Euripide non potuisse in qualicunque prologo poni. quanquam quae Bremio debetur argumentatio, nisi a Matthiaeo[27]) et Firnhabero[28]) novis instructa esset argumentis, nullo modo eam nacta esset quam nunc habet vim atque auctoritatem firmissimam atque gravissimam. quae enim apud Aelianum de cerva Iphigeniae loco Graecis supponenda dicuntur, ut paucis complectar quae accuratissime exposuit Firnhaberus, apparet ea Dianae esse Agamemnonem vel Clytaemestram aut palam compellantis aut absentem. verum colloqui deam cum alterutro parentum cum aliis de causis non est credibile tum optime eo reicitur quod quae per reliquam tragoediam sive dicuntur sive aguntur vel ab Agamemnone vel a Clytaemnestra luculentissime docent credi quod instet filiae sacrificium. contra quominus absentem aliquem compellari putemus hoc est impedimento, quod Dianae verba non eum produnt graviorem animi adfectum quo necessario esse debet is qui absentem adloquitur et ad ea quae dicuntur animum non advertentem. quod autem gravissimum est, tantum abest ut mos fuerit Euripidi usitatus qui exitus esset fabulae in prologis praedicere ut eos tantum aperuerit

[26]) Philologische Beytraege aus der Schweiz. hrsg. v. Bremi u. Doederlein. I. a. 1819. pag. 143 sqq.

[27]) pag. 321.

[28]) Eur. Iph. in Aul. pag. XVI.—XIX.

exitus qui si spectatoribus ab initio cogniti sunt magis movent animorum adfectus maioremque reddunt animorum attentionem quam gradatim et tanquam sola progrediente actione patefactum argumentum. aptissimo testimonio est prologus Hippolyti, quo quae deteguntur insidiae adulescenti a Venere structae, ad exitum illae quidem fabulam adducturae, non possunt nobis non maximopere excitare eos animi adfectus quibus movendis operam dat poeta tragicus. atqui nostra tragoedia si simili instructa fuisset prologo, de quo versus illi ab Aeliano citati cogitari suadent, nullo modo commovere potuisset spectatorum animos, quippe qui, quoniam felicem exitum aperuisset prologus, ipso illo caruissent timore quem idem prologus de Hippolyto optime excitat. ergo perversa viros doctos, cum deperditi prologi sibi visi sunt reperisse vestigia, tenuit opinio, quae nunc quidem, ut decebat, longe abiecta est, si quidem plane nullo cum eventu denuo eam depromere conatus est Gruppius[29]), tam Euripidis quam Hermanni obtrectator cupidissimus, neque ad Euripidem pertinet quod monuit G. Dindorfius[30]), in spurio aliquo prologo vel epilogo illos versus facile posse locum habuisse.

Quanquam igitur hac quidem in re gratia Bremio habenda est quam maxima, non eo usque sequendum est quo ille rem adduxit, ut ipsius eius prologi forma a quo tragoediae exordium fit suspicionem illam quam de dupliciter edita fabula moverat Boeckhius non modo confirmari dixerit sed gravissimis exornari argumentis, quae nihil relinquerent dubii. quam igitur habuit quaestionem, quoniam in solo prologo inspiciendo versata est, huius dissertationis ea in parte tractandam esse putavi in qua agitur de prologo eiusque condicione[31]). eam igitur adeant qui cognoscere velint quas Bremius attulit rationes quaeque contra

---

29) Ariadne. Berolini a. 1834. pag. 515 sq. reiectus est a Bartschio eius libelli quem is Vratislaviae edidit a. 1837. Gruppium refutaturus pag. 10.

30) Eurip. trag. superst. tom. III. Ox. a. 1839. pag. 439. adnot. a.

31) vid. hui. libelli inpr. pag. 35. 38. sq. 40. sq.

protulerunt alii. tamen quantum notum esse oportet hic praecipio. nimirum qui fabulae primum docendae ab Euripide praemissus sit prologus Bremio ab inferioris aetatis homine cum eo coniunctus esse visus est prologo quo instructa fuerit eiusdem fabulae editio altera. sed et longius Bremium processisse pro argumentorum exilitate et quas detexit ille difficultates optime magnaque cum veritatis specie tolli posse spero me demonstraturum esse.[32])

Hoc igitur necessario eis qui bis Iphigeniam Aulidensem editam esse negant concedendum est, non cogitari posse de iterata editione nisi certo aliquo adlato quo suspicio illa nitatur scriptoris testimonio. sed magnopere vereor ne quod extat unicum testimonium non modo non iubeat sed vetet tale quid conicctari. nam quod de tempore quo fabula nostra acta sit tradidit ille scholiasta ad Ran. v. 67., nihil inde colligi potest nisi hoc, docuisse Euripidis filium patre mortuo tres illas tragoedias quae Iphigenia Aulidensis Alcmeo Bacchae inscribuntur. non primum autem tum doctas sed repetitas esse illas fabulas si in didascaliis adnotatum fuisset, non *δεδιδαχέναι* sed *ἀναδεδιδαχέναι* scripsisset scholiasta[33]), sicut, id quod verbi causa adfero, in duobus Ranarum argumentis hoc invenimus: *οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη (τὸ δρᾶμα) ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος.* itaque bis editam esse Jphigeniam Aulidensem ne suspicari quidem licet, quoniam errasse scholiastam

---

32) vid pag. 44.—46.

33) Merito hoc monuit Vitzius in eius libelli quem de Iphigeniae Aulidensis auctore et fatis scripsit partis prioris, Torgaviae a. 1862. illius quidem editae, pag. 5. sed quod ibi alterum attulit argumentum, auctore Suida Euripidem, Euripidis filium, docuisse nonnulla patris *δράματα, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος*, mihi quidem non contigit ut in Suidae libro hoc reperirem, et, quoniam grammaticus iste non filium Euripidis sed ex fratre filium dicit minorem illum Euripidem, nescio an falsus sit Vitzius in colligendo illo argumento.

aut male excerpsisse[34]) quae e didascaliis attulit non debemus statuere nisi ipsius suadente fabulae condicione.

Quod igitur initio dixi, duo illa quae huc pertinent scholia qui inter se comparet, eum, si utrique eandem tribuat auctoritatem, firmissimum videri conclusisse argumentum iteratae editionis, id irritum fit eo quod ea quae adnotata sunt ad Ran. vers. 1309 sqq. tantum abest ut comparari et tanquam coniungi possint cum eis quae scholio continentur priori ut tollantur eis et aperte refutentur. nempe ab Aristotele ab Alexandrinisque grammaticis si fabulam aliquam simpliciter traditur doctam esse certo aliquo tempore: quis tantum tribuet ignoto homini Byzantino ut eius secutus auctoritatem non tam doctam tum temporis illam fabulam quam repetitam esse statuat? istam rationem si quis secutus est tollere conatus est iustae criseos fundamenta. contra qui Aristotelis Alexandrinorumque et Byzantinorum accurate perpenderit auctoritates, porro qui hoc secum reputaverit, vano quos Aristophanes illuserit locos indagandi studio ut dediti fuerint quicunque illius fabulas adnotationibus instruxerunt ita hunc quoque scholiastam nimis indulsisse[35]): hanc qui habuerit computationem aut falsum esse statuet

[34]) Ceterum hoc apud Alexandrinos si scholiasta invenisset, ab Euripide minore illas fabulas non primum sed iterum in scenam delatas esse, quid quaeso habuisset causae non accurate hoc adnotandi? an brevitatis causa eum illud *δεδιδαχέναι* scripsisse putes ubi *ἀναδεδιδαχέναι* ultro se obtulerit?

[35]) An recte scholiastam iudicasse putes, qui his versibus, quibus Aeschylus irridet Euripidem, (Ran. 1320 sq.)

οἰνάνθας γάνος ἀμπέλου
βότρυος ἕλικα παυσίπονον

risui dari dixit haec ab ipso scholiasta ex Hypsipyla citata?

οἰνάνθα τρέφει τὸν ἱερὸν βότρυν.

aut quis hoc concedat interpretibus antiquis, Ran. 1400., *βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα*, vere Iphigeniam Aulidensem respici? cum tale quid ego quidem non dubitem quin non nisi in satyrico dramate locum habuerit.

scholiastam aut fefellisse in his scribendis: *ἔστι δὲ τὸ παρεγκείμενον ἐξ Ἰφιγενείας τῆς ἐν Αὐλίδι.*

Vides igitur ne tantuli quidem pretii esse ista argumenta acerrimaque reprehensione dignum esse si quis nostra quoque aetate sententiam illam tueretur de iterata Iphigeniae Aulidensis editione deque singulis eius partibus vel accurate retractatis passimque mutatis vel execatis et qualencunque in modum compensatis cum locis recens compositis. Sed si quis scholion illud ex quo pendet omnis disputatio, *οὕτω δὲ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμωνύμως ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι Ἀλκμαίωνα Βάκχας,* ea si quis sic interpretari velit, ut non patris sed filii illas fabulas fuisse dicat, unde Iphigeniae Aulidensis nomine inscriptas fabulas duas fuisse colligere posse sibi videatur, alteram a maiore Euripide et scriptam et doctam, alteram minoris Euripidis, adferat quaeso testimonia: quae dum conquisiverit mihi et quibuscunque certa quamvis simplicia ac vulgaria placet praeferre incertis quamvis ingeniose inventis tantum liceat scholiastae tribuere auctoritatis ut minorem Euripidem credamus fabulas docuisse a maiore Euripide conscriptas. hac enim in sententia fuisse grammaticum, ut nunc quidem taceam de vocabulo *ὁμωνύμως*, facillime colligitur ex eis quorum illustrandi causa illa de tribus fabulis post mortem Euripidis in scenam delatis scholiasta adscripsit. nimirum Bacchus magno se desiderio agitari dicit mortui Euripidis, quod desiderium omnibus Atheniensibus commune cum ex aliis tum inde apparere videbatur scholiastae quod etiam mortui poetae fabulae actae sunt, id quod adnotare ei non abs re visum est. nos autem quid vetat in eadem manere sententia in qua fuit scholiasta? immo quo tandem modo licet in aliam discedere sententiam? cum satis fidei grammatico accedat ex eis quae prorsus consentientes Suidas tradunt et qui vitam narravit Euripidis. alter enim de Euripide Mnesarchi vel Mnesarchidis filio haec tradit, *νίκας δὲ εἵλετο ε΄, τὰς μὲν τέσσαρας περιών. τὴν δὲ μίαν μετὰ τελευτήν, ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ*

Εὐριπίδου, alter (v. 25 sqq. Kirchh.) *καὶ υἱοὺς* inquit *κατέλιπε τρεῖς, Μνησαρχίδην μὲν πρεσβύτατον ἔμπορον, δεύτερον δὲ Μνησίλοχον ὑποκριτήν, νεώτατον δὲ Εὐριπίδην, ὃς ἐδίδαξε τοῦ πατρὸς ἔνια δράματα.*

Neque tamen Zirndorfero[36]) displicuit ipsam eam quam modo non sequendam esse demonstravi sententiam proferre de duabus tragoediis eodem nomine inscriptis. nimirum quas minor Euripides docuerit, eas fabulas ipsius minoris, non maioris fuisse statuit, quam maior Euripides scripserit Iphigeniam Aulidensem ab ipso in scenam delatam esse auctore. postquam enim fabulae, qualis nunc est, et nonnulla quae aut aperte inter se pugnarent aut bis eadem enuntiarent inesse neque alia deesse vidit quae non ab eodem homine scripta esse vel sententiae ostenderent vel dicendi ratio in eandem fere incidit suspicionem quam satis infeliciter de prologo moverat Bremius et eam quam nunc habemus tragoediam sibi persuasit ex duabus fabulis compositam esse a grammatico aliquo non nimis docto, qui etiam de suo nonnulla addere non dubitasset[37]). praesidium posuit Zirndorferus in eodem scholio ad Ran. versum 67. adscripto ex quo nihil aliud quam illud de Euripide maiore earum fabularum auctore quas docuit Euripides minor colligendam esse supra monui. at Zirndorferus minime dubitavit quin vocabulum *ὁμωνύμως* accipiendum esset de nominibus fabularum. quare hoc ex scholiastae verbis iure eruisse sibi visus est, tam minorem quam maiorem Euripidem fabulam docuisse Iphigeniae Aulidensis nomine inscriptam[38]). sed illud *ὁμωνύμως* nullo modo referendum esse ad fabulas statim enumeratas et verborum

36) De Euripidis Iphigenia Aulidensi. Marburgi 1838. quo libello cum in ipsa conscribenda hac disputatione caruerim, in citandis Zirndorferi verbis et sententiis usus sum eo libello quem idem de chronologia fabularum Euripidearum edidit Marburgi a. 1839. in quem alterum libellum prioris partes primarias fere integras transcriptae sunt pag. 88—104.

37) pag. 90.

38) l. l. p. 91.

docemur collocatione, quae haec est, *δεδιδαχέναι ὁμωνύμως ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι κτλ.*, non *δεδιδαχέναι ἐν ἄστει ὁμωνύμως Ἰφιγένειαν τ. ἐ. Α. κτλ.*, ea quae, si vera esset opinio Zirndorferi, probari posset unica, et testis ipse est scholiasta, qui quem in finem haec adnotaverit et in qua sententia fuerit supra demonstratum est. mitto nunc Gruppii et Witzschelii[39]) perversam, mitto Welckeri[40]) quaesitam interpretationem et solius Hermanni[41]) commemoro rationem, in qua et acquiescendum est et merito acquievit Vitzius[42]). Hermannus autem, ut par erat, nomen intellexit Euripidis, ita ut, quoniam auctorem illarum de quibus quaeritur fabularum Euripidem maiorem fuisse aliunde constaret, nihil aliud appareat scholiastam dixisse nisi hoc, fabulas a patre conscriptas doctas esse a filio *sub eodem nomine*, i. e. *diserte addito patris nomine.* Tamen Zirndorferus quas sibi finxit duas fabulas eodem nomine inscriptas a grammatico aliquo fere post Aelianum voluit contaminatas esse. cuius compositionis primum vestigium in prologo fabulae cernere sibi visus est, de quo fere idem statuit quod Hartungus[43]), et ita quidem ut eam quam ille veram fuisse voluit prologi formam maiori tribueret Euripidi, a quo iambos mutuatus esset nonnullisque amputatis suae ipsius fabulae apto aliquo loco inseruisset Euripides minor. quem autem sibi finxit Zirndorferus grammaticum, eum postero tempore, cum maioris Euripidis fabula initio truncata fuisset, eosdem illos iambos ex

39) Gruppius (l. l. pag. 532.) de fabula cogitavit ad verbum repetita, cuius ne nomen quidem mutatum esset. et itidem Witschel. in censura quam de priore Zirndorferi libello egit (Neue Jahrbuech. etc. a. 1839. vol. XXVII. 2. pag. 183 sq.) minorem Euripidem censuit ne nominibus quidem mutatis docuisse fabulas quas pater reliquisset nondum spectatas.

40) Welckerus (l. l. pag. 493.) vocabulum illud intellexit de patre et filio cognominibus.

41) Euripidis Iphig. in Aulide. Lips. a. 1831. pag. XIII. adsensus est Bartschius l. l. pag. 49.

42) De Iph. Aul. auctore et fatis. I. pag. 19.

43) vid. hui. lib. pag. 42.

minoris desumpsisse fabula coniecit alteriusque fabulae interposuisse anapaestis[44]). deinde Zirndorferus grammatici vestigia deprehendi putavit in parodo[45]), cuius alteram partem non tam Euripidi minori quam Hermanni adiutus iudicio isti inferioris aetatis homini adscripsit[46]). tertium petiit argumentum ex eo quod satis magnus versuum numerus in nostra tragoedia inveniretur quibus bis eadem enuntiarentur, id quod inde explicandum esset quod grammaticus saepe ex minoris Euripidis fabula repetiisset quae aliis verbis dicta essent etiam ab Euripide maiore[47]). tum quarto loco hoc posuit, quod eorum quae non genuina viderentur alia satis probabilia, alia vitiis insignia essent nullo modo ferendis: quorum locorum apparere non utrosque indidem sumptos esse, sed ex minoris Euripidis fabula mutuatum esse alteros, de suo addidisse alteros grammaticum[48]). denique Zirndorferus nostram fabulam ait parum sibi constare in moribus describendis Achillis, quippe qui partim ut vir placidissimus partim maxime iracundus appareret, et testimonia attulit et vers. 920.—923., quibus quae continentur nec cum Achillis moribus convenirent nec cum sequentibus cohaererent, et vers. 998.—1007., quibus plenum cupiditate ulciscendae iniuriae se praestaret idem Achilles qui versibus 1015.—1023. maxime appareret placidus[49]). sed priorem locum quod attinet, de tota illa Achillis oratione quam accuratissime expositurus sum[50]), inter alteros autem quos Zirndorferus attulit locos nulla intercessit

44) l. l. pag. 95 sq.

45) vid. hui. lib. pag. 49.—57., inpr. pag. 56 sq.

46) l. l. pag. 96. sq.

47) l. l. pag. 97 sq. — comparari iussit hos locos, vers. 598 sqq. et vers. 613 sqq., vers. 631 sq. et vers. 635 sqq., v. 1343. et v. 1344., vers. 1425. et vers. 1429 sq. quorum de quoque quid statuendum esse equidem censuerim suo loco dicturus sum.

48) l. l. pag. 98 sq. quae ibi disputavit Zirnd. non satis intellexisse videtur Firnhaberus, quem vide l. l. pag. XLI. adn. 2.

49) l. l. pag. 100 sq.

50) vid. hui. lib. pag. 119.—133., inpr. pag. 132 sq.

repugnantia. attamen placuit illi haec statuere: maior Euripides maxime placidum eum finxit: ineptus grammaticus diversissima commiscuit[51]).

Satis habeo enumerasse haec argumenta et supersedeo refutando, quoniam refutato externo illo quod ex scholio petebatur argumento quae ipsa fabula praebere videatur testimonia ultro apparet nullo modo sufficere ad probandam Zirndorferi sententiam de duabus fabulis eodem nomine inscriptis deque grammatici illa contaminatione. neque ipse quid sentiam de eis quae recte Zirndorfero difficultates adferre videbantur hic locus est pluribus exponendi, quanquam hoc indicare non dubitavi, non de duarum fabularum contaminatione cogitandum esse sed de unius fabulae varia variorum hominum interpolatione.

Restat ut, antequam sententias percenseam eorum qui de singulis quamvis diversissime iudicantes unam et simplicem fuisse Iphigeniam Aulidensem eamque maioris Euripidis tenuerunt omnes, mentionem faciam eius opinionis in qua fuit Gruppius.

Cum veterum quaecunque ad nos pervenerunt testimonia ut unam tantum fabulam Iphigeniae Aulidensis nomine inscriptam commemorant ita ad unum omnia Euripidi eam tribuant celebri fabularum poetae, quae in nostris manibus est fabula isto nomine notata, etiamsi Euripidis nomen non in fronte haberet, tamen in genuinas illius fabulas recipienda videretur neque ullo modo ei abiudicari posset, nisi si ipsa abiudicandi causas praeberet gravissimas. atqui si quidem praeter argumenta illa extrinsecus sumpta quaecunque in ipsa fabula inveniuntur qualiscunque generis artem prae se ferunt Euripidis ac consuetudinem: qui tandem fas esset eo usque procedere quenquam licentiae ut hanc fabulam Euripidi suppositam vel potius nomen Euripidis falso et immerito ei praescriptum esse censeret? an vere credas te inventurum esse quae abhorreant ab Euripidis

51) l. l. pag. 101.

52) aperte enim falsus est Hesychius v. ἀπαρθένευτα.

consuetudine? profecto, nisi in usum tuum ea convertas quae manifesto sunt spuria praeclaroque Euripidis ingenio parum digna, frustra laborabis. sed ut desunt prorsus quae respuant Euripidem ita insunt multa quae artem illius aperte prodant. habes sermonem ei usitatum, habes dicendi rationem, in morum deinde descriptione, inprimis Agamemnonis Menelai Clytaemnestrae vix est quin eum sibi vindicet auctorem. tum orationes pervestiges perorationesque, diverbiorum inspicias compositionem, melicarum denique partium metricam examines conformationem: num est in tanto numero quod non sibi impressa habeat Euripideae artis signa? Quid igitur causae habuit Gruppius hanc fabulam Euripidi abiudicandi [53]? nimirum tam in componendis singulis fabulae partibus quam in inveniendo et perficiendo totius fabulae argumento [54]), tam in antithetica dicendi ratione [55]) quam in accurata et delicata morum vere ingenuorum descriptione [56]) qui hanc fabulam scripsit Gruppio visus est maiorem ac feliciorem posuisse operam quam quae ab Euripide profecta esse merito putari posset. levissimi denique momenti est quod ex Taurica Iphigenia Gruppius petiit argumentum. ibi enim cum aliter atque in Aulidensi Iphigenia tradatur de virginis immolatione, eadem ab eodem poeta alio loco aliter narrari posse prorsus negans Gruppius, quoniam Taurica Iphigenia quin ab Euripide scripta esset dubitari non posset, alteram Iphigeniam alii poetae tribuendam esse censuit. [57])

Haec qui argumentis refutanda esse existimet B a r t s c h i u m [58]) adeat et E d u a r d u m M u e l l e r u m [59]), neque praetermittenda sunt quae collegit F i r n h a b e r u s [60]). sed mihi quidem eum

---

[53]) Ariadne. pag. 533.
[54]) ibid. pag. 516.—527.
[55]) ibid. pag. 547.—550.
[56]) ibid. pag. 550 sq.
[57]) l. l. pag. 533.—538.
[58]) De Euripide Iphigeniae Aul. auctore quaestiunc. Vratisl. a. 1837.
[59]) ubi censuit is Bartschium, Zeitsch. fr. Altthm. a. 1838. no. 22 sq.
[60]) l. l. pag. XL sq.

locum sumo examinandum quo nisus Gruppius C h a e r e m o n i poetae tragico hanc fabulam adsignare conatus est [61]). nimirum Athenaeus lib. XIII. pag. 562. haec dicit: *Θεόφραστος δ᾽ἐν τῷ Ἐρωτικῷ Χαιρήμονά φησι τὸν τραγικὸν λέγειν ὡς τὸν οἶνον τῶν χρωμένων τοῖς ιρόποις κεράννυσθαι οὕιως καὶ τὸν Ἔρωτα. ὃς μετριάζων μέν ἐστιν εὔχαρις, ἐπιτεινόμενος δὲ καὶ διαταράττων χαλεπώτατος. διόπερ ὁ ποιητὴς οὗτος οὐ κακῶς αὐτοῦ τὰς δυνάμεις διαιρῶν φησὶ δίδυμα γὰρ τόξα αὐτὸν ἐντείνεσθαι χαρίτων, τὸ μὲν ἐπ᾽ εὐαίωνι τύχᾳ, τὸ δ᾽ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς. ὁ δ᾽αὐτὸς οὗτος ποιητὴς καὶ περὶ τῶν ἐρώντων ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τραυματίᾳ φησὶν οὕτως·*

τίς οὐχὶ φήσει τοὺς ἐρῶντας ζῆν μόνους;
εἰ δεῖ γε πρῶτον μὲν στρατευτικωτάτους
εἶναι, πονεῖν τε δυναμένους τοῖς σώμασιν
μάλιστα, προεδρεύειν τ᾽ἀρίστους τῷ πόθῳ,
ποιητικούς, ἰταμούς, προθύμους, εὐπόρους,
ἐν τοῖς ἀπόροις βλέποντας, ἀθλιωτάτους.

vides igitur Athenaeum ea quae sunt Iph. Aul. vers. 548.—551.,

δίδυμ᾽ Ἔρως ὁ χρυσοκόμας
τόξ᾽ ἐντείνειαι χαρίτων,
τὸ μὲν ἐπ᾽ εὐαίωνι πότμῳ,
τὸ δ᾽ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς,

non Euripidi sed Chaeremoni tribuisse, qua in re usque adeo adsensus est Gruppius ut totam fabulam Chaeremonis esse censuerit. iniuria hoc fecisse Gruppium non est quod moneam, si quidem hoc uno testimonio deipnosophistae, qui quam leviter in excerpendis scriptorum locis versatus sit satis constat [62]), ceterorum testimoniorum argumentorumque non comminuitur auctoritas. et errasse Athenaeum vel potius leviter excerpsisse hoc quoque loco consentaneum videtur, si quidem neque quod inter-

---

[61]) l. l. p. 561 sqq.
[62]) cf. B a r t s c h. l. l. pag. 27.

pretando Hermannus ferebat neque quod coniectando Hartungus sufficit auxilium. itaque maxime probo Meinekium[63]), qui postquam quos Athenaeus statim citavit trimetros iambicos non Chaeremonis tragici sed comici alicuius poetae esse monuit de toto illo Athenaei loco mirifice perturbato hanc tulit sententiam, Athenaeum Theophrasti locum, in quo Chaeremonis et Euripidis versus loco si forte distincti citati essent, neglegentius excerpsisse totamque illam Theophrasti eclogam reliquis iam perscriptis inter duos locos ex duabus Alexidis fabulis citatos interiecisse. nimirum locis illis secundum Theophrastum citatis in libris versus aliquot praemissi sunt ex Alexidis Apocoptomeno desumpti, quibus agitur de amoris vi et natura. his, ut sententiam persequar Meinekii, primo Athenaeus statim adiecerat haec, *ὁ δ᾽αὐτὸς οὗτος ποιητής κτλ.*, trimetros aliquot ex eiusdem Alexidis fabula *Τραυματίας* quae inscribitur addens: post quae ex Theophrasto leviter excerpserat eadem cum levitate suis ipsius verbis inculcavit[64]).

In quam igitur inquirimus celebris Euripidis tragoediam, sine idonea causa illam quidem a Gruppio Chaeremoni adscriptam, et eam Iphigeniae Aulidensis nomine inscriptam fabulam esse tenendum est quae mortuo Euripide maiore postquam Ranas docuit Aristophanes una cum aliis maioris fabulis primum in scenam ab Euripide minore delata est neque aut iteratae editionis fabulam aut ex duabus sive editionibus sive fabulis compositam esse concedendum est. Nec tamen multa inesse in quibus iure ac merito offendatur negari potest, sed quas offensiones qui aliter atque interpolatorum temptamina agnoscendo sibi videtur tollere posse egregie fallitur. quare non magis quam

63) Historia critica comicorum Graecorum (fragmm. com. Gr. vol. I.). Berol. a. 1839. pag. 520.

64) Male vexavit nuper atque exagitavit Gruppium, ut solet, Klein. (Geschichte des Drama's. I. Lips. a. 1865.), quoad Iphigeniam Aulidensem pag. 486.—488. 489 sq. 491. ceterum quod accuratam fabulae oeconomiam Klein. Euripidi minori tribuit iudiciis cedenti comicorum, quare de iterata cogitat editione, aperte nimium concessit Boeckhio.

Boeckhio Bremio Zirndorfero adsentior eis qui hanc fabulam sicut Gruppius[65]) Firnhaberus Weilius[66]), etsi varie corruptam esse sive librariorum neglegentia sive temporum iniquitate libenter concedunt, tamen alieni cuiusquam hominis addidamentis contaminatam esse prorsus negant.

Sed quicunque praeter illos, quantum equidem scio[67]), versati sunt in recensenda aut explicanda hac fabula, postquam exodum fabulae, qualis nunc quidem est, spuriam esse censuerunt Porsonus et Bremius, interpolatoris sive emendatoris operam in absolvenda aut amplificanda fabula secundum certam aliquam rationem positam agnoverunt omnes.

Ab Euripide omni ex parte absolutam quidem et ad extremum finem perductam fabulam Hermannus coniecit in lacero aliquo codice tam male habitam fuisse ut non solum fine truncata sed etiam aliis quibusdam partibus mutila fuisset. eo in libro grammaticum aliquem Euripide multo recentiorem explevisse quae deesse vel videret vel opinaretur totamque denique fabulam pro suo iudicio captuque paullatim perpolisse. qui codex, postquam diu neglectus iacuisset, denuo corruptus misero casu factum esse ut solus servatus esset fontemque praebuisset nostris libris[68]).

65) cf. Ariadne. cap. XIII. pag. 462 sqq.

66) Sept tragédies d'Euripide. Paris. 1868. quae spuria videntur Weilio, ea optime in eo addidamentorum genere haberi possunt quibus passim turpata est quaecunque superest tragoedia.

67) Infeliciter factum est ut recentiorum aliquot recensiones non potuerim inspicere. sic neque Monkius (utramque Iphigeniam edidit Cantabrig. a. 1840.) aut Paleius (Eur. tragg. Lond. aa. 1857. — 1860.) aut Fixius (Eur. tragg. Paris. a. 1844.) aut Vaterus (Eur. Iph. in Aul. ex rec. min. Eur. et cum animadvers. Fr. Vat. Mosquae a. 1845.) quid censuerint accurate potui indicare neque respexi quas Bothius (a. 1843.) et Hartungus huius fabulae curarunt editiones alteras.

68) l. l. pag. XXIX. — quae h. l. dixerat Hermannus ipse quodam modo auxit et emendavit a. 1847., quo anno priorem edidit earum dissertationum quas scripsit de interpolationibus Euripideae Jph. in Aul. cf. illius dissert. pag. 3.

Similiter censuit Hartungus[69]), sed cui non tam propter explendas lacunas quam petulantiae indulgens versus addidisse et inculcasse visus est homo aliquis scholasticus.

Bothius[70]), etsi tum exodi aliquam partem tum alia Euripidi abiudicavit, quid tamen statuerit de fabulae auctore et condicione ego quidem cognitum non habeo.

Neque certi quid adfirmaverim de Nauckio et Kirchhoffio, quorum uterque de duobus certe cogitat interpolatoribus[71]).

Patefecerunt quid sentirent ita ut imperfectam hanc fabulam ab Euripide relictam sibi videri dicerent Lud. Dindorfius, quem, quoniam a minore Euripide hanc fabulam neque perfectam atque ad finem perductam neque in scenam delatam esse voluit, apparet de recentioris aetatis interpolatoribus cogitasse[72]), et Klotzius, qui a filio hanc patris fabulam tam exactam et tantum non prorsus perpolitam quam doctam esse putavit[73]). vides igitur Klotzium, si quidem is quoque genuinum epilogum intercidisse censuit[74]), eandem tueri sententiam quam primus protulit Bartschius, pertractatam atque ad finem quodam modo perductam et ita ut agi posset comparatam esse fabulam a minore Euripide, postea nonnulla excidisse, quae nescio quo modo expleta essent[75]).

Quos igitur extremo loco posui apparet dupliciter discrepare cum Hermanno et Hartungo. nam non modo incohatam

---

69) Euripidis Iphigenia in Aul. Erlang. a. 1837. pag. 76.

70) Euripidis dramata. vol. prius (poet. scen. Graec. vol. prim.). Lips. a. 1825.

71) cf. Nauck. ad vers. 1532.—1628. ed. II. de Kirchhoffii sententia inter se comparentur quae adnotavit ille ad vers. 409.—437., ad vers. 815.—633., ad vers. 775.—782., ad vers. 1506 sqq. ed mai.

72) Euripidis fabulae c. annot. L. Dind. vol. II. Lips. a. 1825. pag. 537.

73) Eur. tragg. rec. R. Klotz. vol. III. sect. III. contin. Iph. quae est Aulide. Goth. et Erford. a. 1860. pag. 11.

74) l. l. pag. 10.

75) l. l. pag. 50. coll. pag. 4.—8.

et imperfectam hanc fabulam ab Euripide relictam esse voluerunt verum etiam complurium, non unius hominis, opera statuerunt eam nactam esse formam quae in nostris est libris. ansam haec statuendi quin Matthiaeus illis dederit non est dubium, sed parum sibi constans fuit ille eo quod fabulam et actam Euripide minore curante et tam parum elaboratam esse putavit ut posteris temporibus quae deesse visa essent alii aliter explevissent[76]). an vere credas Athenienses tam parum eruditos fuisse ut num omni ex parte absoluta esset aliqua tragoedia necne non sentirent tamque ineptos ut praemio ornarent fabulam imperfectam?

Bene hoc quam parum probabile esset perspexit G. Dindorfius, qui cum quae Matthiaeus statuerat longius persecutus tam ab recentioribus poetis quam ab Euripide minore hanc fabulam putavit interpolatam esse tum Ludovici fratris coniectura[77]) adiutus hanc Aulidensem Iphigeniam negavit unquam ab Euripide minore in scenam delatam esse, si quidem in eis quae scholiasta adnotavit ad Ran. v. 67. Aulidensis Iphigenia immerito loco suo movisset Iphigeniam Tauricam[78]). profecto non in illud incidit crimen G. Dindorfius quod meruit Matthiaeus, sed levitatis crimen nescio an non satis vitaverit. an verum vel tetigisse tibi videtur Dindorfius? immo et vere doctam esse fabulam ab Euripide minore tenendum est — nam quid est quod scholii auctoritatem comminuat immerito in suspicionem vocati? — et ipsa fabula, si quidem minime eo modo quo Dindorfio videbatur interpolationibus contaminata est, multum ponderis addit scholiastae verbis[79]).

---

76) l. l. pag. 326 sq.

77) cf. hui. lib. pag. 20.

78) Euripidis tragg. superst tom. III. Oxon. a. 1839. pag. 444 sqq. quibuscum comp. quae idem Dind. dixit Poet. sc. ed. V. (Lips. aa. 1867 sqq.) Eur. pag. 264.

79) Male nunc post edita ad poetas scenicos prolegomena ipse sibi repugnat Dindorfius inque Matthiaei illud inconstantiae vitium recidit. neque enim nunquam perfectam fuisse hanc fabulam, id quod in novissima

Intellexit hoc qui nuper de Iphigeniae Aulidensis auctore et fatis quaesivit[80]), Vitzius, quare eam tenuit sententiam in qua Bartschium fuisse et Klotzium supra monui. nimirum ab ipso Euripide non ad finem perductam neque aliis quibusdam in partibus prorsus perfectam fabulam censuit absolutam[81]) et in scenam delatam[82]) esse ab Euripide minore. huic deinde fabulae posterioribus temporibus passim nonnulla adscripta esse vel explicandi vel comparandi causa[83]). denique metricum aliquem hominem, postquam multa lectione prorsus disiecta et turbata fuisset fabula, versuum ordinem et metra restituere conatum esse diligenti opera et sine ullo interpolationis consilio: qua in re passim ei accidisse ut versus vel verba margini adscripta pro genuinis haberet et in fabulam ipsam reciperet, nonunquam etiam ut aut omitteret quaedam aut perversum statueret versuum ordinem[84]). his statutis Vitzius haud parvam operam posuit praesertim in metrici scrutandis vestigiis, minus accurate versatus est in antiquis interpolationibus investigandis.

Vides igitur Vitzium non in alienorum statuendis addidamentis inque interpolatorum agnoscendis temptaminibus acquievisse sed primum illum quidem omnium operam dedisse singulis inter singulos quos deprehendisse sibi visus est interpolatores distribuendis, quam ob rem magna dignus est laude. sed pauca ille recte instituisse mihi videtur. ac primum quidem perverse iudicasse videtur de Euripide minore eiusque indole,

---

editione diserte illum repetiisse modo monui (adde quae nuper quoque ad versus 1283.–1314. adnotavit), nunc negat et scholiastae Aristophanei illud de fabula mortuo Euripide in scenam delata in certis grammaticorum de fabularum temporibus habet testimoniis, nulla ne minima quidem indicata dubitatione. (Proll. p. 22.)

80) De Iphigeniae Auliden. auctore et fatis. prs. I. Torgav. a. 1862. prs. II. ibid. a. 1863.

81) cf. prt. I. pag. 14. in., prt. II. pag. 11 sq.

82) prt. I. pag. 5., prt. II. init.

83) prt. II. pag. 12. exeunt.

84) prt. II. pag. 3.

cui, quasi non tam praeclarissimorum poetarum aequalem quam recentissimae aetatis grammaticum illum sibi finxerit, et ea tribuit quae ab illo profecta esse prorsus negandum est[85]) et longius promovit quos ille sibi determinaverit provinciae suae fines[86]). deinde autem, si excipias quam quaestionem habuit de metrico, quem nescio an immerito in interpolatorum numero posuerit, in statuendis interpolationibus parum accurate versatus suoque ipsius iudicio videtur parum diligenter usus esse.

In investigandis vero et definiendis interpolatorum addidamentis, in percensendis et examinandis deinde singulis fere quaecunque vere suspecta sunt verbis cum maximum intellexissem positum esse momentum ad tragoediae condicionem accurate cognoscendam, quantum potui diligentissime tractavi quos in suspicionem vocarunt locos prope omnes, qua in re qui prioribus temporibus versati sunt satis negotii posteris reliquerunt, neque tamen quod non prorsus abstinui a genuinis quoque emendandis et explicandis vereor ne vitio mihi vertatur. Hanc igitur secutus rationem, ut quae in fine pluribus exponenda sunt paucis hic praevertam, primum verissime eos iudicasse intellexi qui qualem nunc habemus tragoediam complurium hominum operam expertam esse statuerunt, deinde ipse Euripides an filius eius, sive eum fratris filium dicis, hanc fabulam ad finem perduxerit mihi persuasi nunquam diiudicari posse.

---

85) Unum ut adferam, versus 635.—637., quibus praeter exodi partem alteram per totam fere fabulam nihil reperitur miserius, ab Euripide minore factos esse voluit. vid. prt. II. pag. 9. sed quid quod ipsam illam exodum Euripidi minori tribuit.

86) vid. hui. lib. pag. 187.

DE FABULÆ PROLOGO.

(Vers. 1.—163.)

I. V. 5. — De prologi condicione in universum potissimum disputaturus quod a singulari quodam versu exordior vel potius vocabulo simpliciter explicando nescio an venia mihi opus sit, prius quam tractare propositum incipiam a proposito declinanti: sed quoniam et ubique versuum ordinem servare neque ab interpretatione aut emendatione abstinere statui, nolui ne hanc quidem praetermittere occasionem iustae interpretandi rationis revocandae.

Media nocte domo egredi iussus senex confestim se adfuturum esse dicit, quod ne nimis mirum videatur pernicitatis suae addit causam, plane insomnem scilicet sibi senectutem esse.[1])

σπεύδω.
μάλα τοι γῆρας τοὐμὸν ἄυπνον
καὶ ἐπ᾽ ὀφθαλμοῖς ὀξὺ πάρεστιν.

Verba minime obscura adeo omnibus videbantur obscurata, addito scilicet vocabulo ὀξύ, ut mirum quantum undique vexata sint. miro modo ea contorsit Hermannus, cuius haec est ex-

[1]) Nullo modo audiendus est Bremius, cui tardidatem senex excusare visus est. quod autem vocem ὀξύ, de qua tota haec quaestio est, substantiva vi instructam esse voluit, refutatus est ab Hermanno, Leipziger Litteraturzeitung a. 1819. no. 247. pag. 1974.

plicatio. *quoniam quod dicit senex μάλα τοι γῆρας τοὐμὸν ἄϋπνον idem est ac si diceret τὸ ἐμὸν γῆρας πολὺ ἔχει τὸ ἄϋπνον, hoc ἄϋπνον in mente habens addit καὶ ἐπ᾽ ὀφθαλμοῖς ὀξὺ πάρεστιν, insomniam citam sibi adesse fugato ab oculis somno significans.* Merito respuens hanc rationem Klotzius nemini probabit quam ipse excogitavit interpretationem, qua ea quae sunt ἐπ᾽ ὀφθαλμοῖς ὀξύ alio nisi ad oculorum acumen referri non posse putans hoc senem facit dicentem, *sibi senectutem oculis quidem acrem atque acutam adesse.* sed quid quaeso causae est cur de acumine oculorum suorum ille moneat? quid oculorum acumini cum insomni vigilantia et nocturna celeritate? et hoc ut feramus: unde senectute visum acriorem reddi credamus? quid quod ingravescente aetate cum omnes omnium hominum sensus hebescere tum oculorum acumen comminui quotidie quisque intellegit? sic ipse Euripides H. F. vers. 638 sqq.

ἄχθος δὲ τὸ γῆρας ἀεὶ
βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
ἐπὶ κρατὶ κεῖται,
βλεφάρων σκοτεινὸν
φάος ἐπικαλύψαν.

Qui igitur nuper fabulam edidit, Weilius, perinde atque G. Dindorfius revocavit explicationem Bothii, qui *senectam impigram senis oculis insidere et quasi in illis excubare* dixit: id quod etsi habet quod arrideat, ferri tamen nullo modo potest, si quidem et praepositio repugnat ἐπί, nisi ἐν pro ἐπ᾽ restituendum putes,[2]) neque ὀξύς notionem significat diligentiae, quam caveas cum celeritatis notione prorsus confundas.

Veram interpretandi rationem non est dubium quin primus senserit Bremius[3]), quantumvis aliud quid agens misere falsus est in expendendis singulis, proxime autem ad verum accessit Firnhaberus, hoc modo hunc versum reddens, *das alter liegt*

[2]) Humani quid opinor accidit Weilio, qui de refragante praepositione Klotzium monens idem vitium admittere ne ipse quidem cavit.

[3]) Tractavit huius fabulae aliquot locos in annalibus qui inscribebantur Philologische Beytraege aus der Schweiz, vol. I. pag. 212.—243.

mir schwer auf den augen. nimirum ut ὀξύ saepissime dicitur id quod acerbum ac molestum est ita senex eo vocabulo utitur ad senectutem significandam tanquam acerbe sibi oculis insidentem doloribusque insomnia excitatis adficientem. ne igitur mireris quod praeter insomniam ex improviso insomniae adfertur acerbitas, cogita senem morosum ac tristem pernicitatis suae causam proferentem molestissimam non posse prorsus a querelis abstinere.

II. *Vers.* 6.—11. — Inter Agamemnonem et servum in libris hi versus sic distributi sunt.

ΑΓΑ. τίς ποτ᾽ ἄρ᾽ ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει;
ΠΡ. Σείριος, ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου
Πλειάδος ᾄσσων ἔτι μεσσήρης.
ΑΓΑ. οὔκουν φθόγγος γ᾽ οὔτ᾽ ὀρνίθων
οὔτε θαλάσσης, σιγαὶ δ᾽ ἀνέμων
τόνδε κατ᾽ Εὔριπον ἔχουσιν.

Merito in hoc loco, postquam primus vitium detexit Jos. Scaliger (Prolegom. ad Manilium pag. 5.), offenderunt quicunque non nimis imperiti fuerunt rerum caelestium. nimirum tantum abest ut Sirius merito propinquus dicatur Vergiliis ut ab illis sit remotissimus. nam Vergiliae quo tempore lineam quam dicimus meridianam transeunt gradibus circiter quadraginta a summo caeli fastigio propiores sunt quam Sirius ubi eundem circulum transgreditur, unde sequitur ut qui ab illis in caelo conficitur circulus quem in se complectitur minorem gyrum Sirii omnibus ex partibus superet gradibus quadraginta, vel, ut verbis utar astronomorum, inter Vergilias et Sirium parallelorum differentia intercesserit graduum quadraginta. accedit autem differentia quam dicunt meridiani, maior illa quidem differentia parallelorum. nimirum tantum hac quidem ex parte Vergiliae distant ab Sirio ut quo tempore is superat circulum meridianum illae post escensum gyri sui in meridiano fastigium arcum in caelo descripserint graduum quinquaginta, i. e. ut proximi sint a summo caeli fastigio tribus horis antea quam Sirius circulum meridianum transeat. quae cum ita sint, Sirium Vergiliis propinquom dici posse

merito opinor negabimus, id quod ipsa specie caret probabilitatis vel minima inde quod quae inter Sirium et Vergilias interiecta est caeli plaga stellis signisque distincta et tanquam sparsa est tam inlustribus, Vergiliis tanto clarioribus ut qui Vergilias novit Siriumque et hanc quidem caeli meridionalis partem oculis passim perlustravit, ei ne in mentem quidem venire possit ita definire quem haec stella in caelo teneat locum ut propinquam eam dicat Vergiliis. itaque cui haec descriptio debetur non est cur immerito Scaliger rerum caelestium imperitiam exprobraverit.

Illo autem opprobio, quod Harius[4]) et G. Dindorfius[5]) poetae defendere merito opinor verebantur, Euripidem purgare conatus est primus Boeckhius eo quod Vergiliarum mentionem ab Euripide minore dixit inculcatam esse in repetenda tragoediae editione[6]): neque tamen video equidem cur harum quidem rerum maior Euripides peritior quam minor vel alius quis fuisse putandus sit. Aliam rationem Nauckio Kirchhoffio Weilio probantibus Bremius secutus est, qui prorsus deleturus Sirii mentionem vocem σείριος pro adiectivo ad substantivum ἀστήρ referendo haberi iubens versus 7 sq. continuavit Agamemnoni, interrogandi autem signum in finem promovit versus 8.: qua ratione fere in idem incidit quod teste Theone Smyrnaeo, quippe qui in libro περὶ ἀστρονομίας XVI. (pag. 202. ed. Martin.) τίς ποτ᾽ ἄρ᾽ ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει σείριος; scripsit, eodem Euripidis emendandi consilio iam antiquo tempore nescio quis temptaverat. sed cogita Agamemnonem ipsum secum colloqui et quae haec stella sit loco eius accuratius definito ex se ipsum quaerere: nomen quidem stellae, quasi res sit capitalis, tanquam se ipsum celare, sed ea quae certa illa stella secum trahit ad qualescunque res pertinentia accuratissime exponere nonne insani hominis est? haec mecum singula reputans sufficere putabam ad Bremium refutandum, sed aliud accedit argumentum gravis-

[4]) The philological museum. vol. I. Cantabrig. a. 1832. pag. 23 sqq.
[5]) cf. quae ab eodem G. Dindorfio dicta sunt in Jahn. annal. a. 1868. pag. 410 sq.
[6]) Gr. tr. pr. pag. 278.

simum unde cum mentio probatur Sirii tum, quae mihi genuina videtur, defenditur quae in libris est versuum distributio.

Miror enim profecto quod nemo unquam, quantum equidem scio, ea quae statim de aestuum et ventorum perinde atque avium silentio dicuntur monuit non de diei sed de anni tempore intellegenda esse. an vere quis ventorum flatum fluctuumque strepitum aeque atque avium sive gallorum cantum una cum sole oriri et deficere credat? unus offendit in re tam mirabili Hermannus, sed ut et ipse quin diei tempus a poeta respiceretur minime dubitavit ita asperrimam adhibuit medicinam maris ventorumque mentionem prorsus relegandi.[7]) quod contra si ad anni tempus haec referimus, neque est cur in ventorum fluctuumque silentio offendamus avium silentio coniuncto neque quicquam requiri posse videtur ad anni tempus accuratius definiendum, quod autem aves silere noctu Agamemno conqueritur mirum non est, propterea quod ille in universum de anni tempore cogitat cuius signum est lumen illud caeleste.

Reputa igitur secundo vento carentes Graecos Aulide sedere[8]), id quod nihil est impedimento quominus huius loci et versus 813.[9]) rationem habentes ita accipiamus ut malacia navigandi opportunitatem corrumpi putemus.[10]) nimirum minime impedimento est quod detestata Troianam expeditionem navesque Graecorum quod Aulidem convenerint conquesta Iphigenia canit versibus 1323 sq.,

μηδ᾽ (ὤφελεν) ἀνταίαν πνεῦσαι πομπὰν
Ζεύς.

quae verba et Iphigeniae sunt tam tempestatum quam morae a Diana Graecis impositae eiusque rationis parum peritae et locum habent in canticis, ubi cum non tam probabilitati atque melicarum

---

[7]) De interpoll. I. in Aul. I. pag. 6.

[8]) v. 88. *ἥμεσθ᾽ ἀπλοίᾳ χρώμενοι κατ Αὐλίδα.*
v. 352. *οὐρίας πομπῆς σπανίζων.*

[9]) *μένω ἐπὶ λεπταῖς ταισίδ᾽ Εὐρίπου πνοαῖς.*

[10]) Prorsus siluisse ventos et Sophocles statuit El. 564. et ipse Euripides I. T. 15. dissentiente Aeschylo Agam. 179 sqq. ed. Herm.

partium cum reliqua tragoedia consensui operam dedit quam licentiae suae indulsit Euripides tum hoc loco adlitterationum homoeoteleutorumque quae dicimus studio facile potuit eo adduci ut ipse secum pugnaret dumne suaves quosdam sonos abicere cogeretur.

Reputa igitur malacia Graecorum naves in portu retineri, reputa malaciam ingenti quo dies caniculares ardent solis calore eodem effici qui avium cantum opprimit[11]): num miro aliquo casu illatam esse putas vocem *σείριος*, qua plerumque significatur canicula? num ab inepto emendatore tibi videtur hoc institutum esse, ut non splendens nescio quae stella Vergiliis vere vicina sed ipse Sirius quamvis perverse Vergiliis propinquus dictus intellegi debeat? immo aperte Euripides Graecos finxit eo tempore Aulidem convenisse quo dies putabant caniculae sub potestate esse, i. e. diebus canicularibus, quippe quibus tam ventos quam aves silentio premat solis ardor.

Constat autem dies caniculares nomen habere a canicula propterea quod paullo ante solem exorta interdiu ea caelum permeat, unde qui illo tempore flagrantissimus est aestus caniculae vi effici videbatur. quanto vero comminuitur paullatim aestus tanto eius arcus augetur longitudo quem noctu stella in caelo describit, sub aequinoctiale autem tempus illa, cum oriente sole in summo caelo sit,[12]) dimidiam tantum cursus partem interdiu conficit. sequitur tum illud tempus de quo haec Hesiodus (O. D. 414 sq.).

ἦμος δὴ λήγει μένος ὀξέος ἠελίοιο
καύματος ἰδαλίμου, μετοπωρινὸν ὀμβρήσαντος

---

[11]) Apte comparare mihi videor Agam. vers. 543 sq.,
χειμῶνα δ᾽ εἰ λέγοι τις . . . . . .
. . . .
ἢ θάλπος, εὖτε πόντος ἐν μεσημβριναῖς
κοίταις ἀκύμων νηνέμοις εὕδοι πεσών.

[12]) cf. Hes. O. D. 609 sq.
εὖτ᾽ ἂν δ᾽ Ὠρίων καὶ Σείριος ἐς μέσον ἔλθῃ
οὐρανόν, Ἀρκτοῦρον δ᾽ ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος Ἠώς.

Ζηνὸς ἐρισθενέος, μετὰ δὲ τρέπεται βρότεος χρὼς
πολλὸν ἐλαφρότερος· δὴ γὰρ τότε Σείριος ἀστὴρ
βαιὸν ὑπὲρ κεφαλῆς κηριτρεφέων ἀνθρώπων
ἔρχεται ἠμάτιος, πλεῖον δέ τε νυκτὸς ἐπαυρεῖ.

Eodem autem illo anni tempore, quo arationem et sationem parari vult Hesiodus, ea gesta esse finxit Euripides quae hac aguntur tragoedia. id quod luculentissime inde apparet quod satis magno temporis spatio antea quam luceat Sirius adhuc in medio caelo (*ἔτι μεσσήρης*) esse dicitur, unde necessario hoc concluditur, medio caelo relicto in caelo occidentali illi multum itineris occasum versus conficiendum esse antea quam sol oriatur. ineunte igitur mense Octobri Agamemno quarta fere post mediam noctem hora absoluta, quo tempore gradibus XLI supra horizontem elatus Sirius in summo caelo est, domo videtur egressus esse. qui canicularibus diebus malaciam secum trahens obtinere solet aestus ventis imbribusque auctumnalibus nunc quidem extinctus esset, nisi qualencunque ob causam irata Diana retineri iussisset flatus ventorum vicissitudinesque tempestatum. hoc autem quanquam minime ignorat Agamemno tamen, quae spes est hominum nunquam oppressa semperque vel ea quae fieri non possunt tandem fore ut fiant sibi persuadens, placatum iri Dianam idoneamque ad navigandum tempestatem una cum auctumno venturam esse sperare non destitit. sic in dies ventum expectans quo est animo misere perturbato auctumnalis temporis signis diu iam in caelo elatis spem sibi falli non sensit. hac vero nocte, ubi in vestibulo stanti ei de medio caelo stella adfulget prae ceteris splendida, subito Sirii oritur suspicio utpote clarissimi in nocturno caelo luminis, quam stellam ille inani spei nimis deditus hac quidem noctis hora in imo caelo orienti esse putavit. tum idoneae tempestatis spem se fefellisse suspicans nomen stellae quaerit e servo, et ille Sirii quidem nomine diserte stellam appellat, unde Agamemno verum se suspicatum esse intellegit, sed multam noctem esse neque dum dormiendi tempus praeteriisse monens caniculam adhuc in summo caelo esse addit. Agamemno vero audito Sirii nomine quae senex monuit nihil moratus, spes autem

quantum se fefellerit nunc quidem intellegens prorsus desperans haec exclamat: *(quanquam igitur adeo usque maturitatis anni tempus progressum est,) nullus tamen neque avium strepitus neque maris, ventorum autem silentium Euripum premit?*

Vides igitur tenendam esse quam libri praebent versuum distributionem, quae autem per exclamationem senis verbis adiungit Agamemno interrogative videntur dicenda esse. quare ego quidem hunc locum sic constituo.

ΑΓΑ. τίς ποτ᾽ ἄρ᾽ ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει;
ΠΡ. Σείριος, ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου
Πλειάδος ᾄσσων ἔτι μεσσήρης.
ΑΓΑ. οὐκ οὖν φθόγγος γ', οὔτ᾽ ὀρνίθων
οὔτε θαλάσσης, σιγαὶ δ᾽ ἀνέμων
τόνδε κατ᾽ Εὔριπον ἔχουσιν;

Nihil igitur in hoc loco, si accuratius eum consideraveris, habebis quod reprehendas nisi Vergilias ipso caelo refragante Sirio finitimas factas. hoc autem vitium ut vel in Euripide ferendum esse supra monui ita omnino optime ferri posse de iure inde colligere mihi videor quod antiquitus et Pleiades quique cupidissimo amore incensus eas persequitur Orion [13]) una comprehendebantur fabula et Orioni, ingentis magnitudinis venatori, canis fidelissimus adiungebatur Sirius. [14]) quibus fabulis cum necessario hoc efficeretur, ut tam Vergiliarum et Orionis [15]) quam Orionis et Sirii [16]) sidera fere in unum bina coalescerent, vix mirandus videtur si quis rerum caelestium non ita peritus Orionem, Sirio illum quidem prorsus finitimum, in ea autem parte quae proxima est a Sirio septem octove stellas complectentem, pro septem illis Vergiliis accepit.

III. V. 12. — Cum hoc loco Agamemno, quem, ut ex aliis huius tragoediae locis apparet, [17]) Euripides in aliqua domo ha-

[13]) Hes. O. D. 619 sq. cf. E. M. v. *πλειάς.* schol. Pind. Ne. 2. 16.
[14]) Il. 22, 29.
[15]) Hes. l. l. 615.
[16]) Hes. l. l. 609.
[17]) vers. l. 317. (440.) 678. 803. 862. 863.

bitantem finxit, σκηνῆς ἐκτὸς ᾄσσειν dicitur, Monkius ut alia, de quibus non est quod verba faciam, ita Hermanno [18]) adsentiente hunc versum ut spurium abiecit. ego vero quin fallatur quicunque eum cum ceteris pugnare putat non dubito, si quidem aut miseras domos Aulidensium tabernis simillimas fuisse aut domui similem tabernam, utpote summo imperatori, Agamemnoni aedificatam fuisse facillimum est ad statuendum.

IV. V. 22. — Hunc versum prorsus carentem numeris, quos ut sana servata sententia restitueret frustra laboravit Marklandus, quamvis quod ille coniecit, καὶ φιλότιμον, nobis probare posse sibi visus sit Klotzius, primus delevit Bothius, item glossatoris esse coniecit Hermannus, secuti sunt Hartungus et G. Dindorfius. hoc autem si reputaverimus, ubi non eorum qui honorum studiosi sunt sed eorum ratio habenda est qui sunt in honoribus (τοὺς ἐν τιμαῖς) molestissimam esse ambitionis mentionem, praesertim cum eis quae statim secuntur a versu 24. nihil aliud nisi honoratos respici appareat, in Kirchhoffii sententiam mutilum hunc versum putantis haud facile discedemus, interpolatoris autem illam suspicionem probare vix opinor dubitabimus, nisi forte idoneam medicinam repperisse videatur Nauckius, qui hunc in modum versum restituit, καὶ τὸ πρότιμον. attamen miro sane modo in memoriam revocatur v. 342., ubi quod recurrit vocabulum φιλότιμον dubitari non potest quin ad ipsam eam usurpatum sit notionem significandam quae hoc nostro loco ferri potest una atque unica. vides igitur a qualicunque mutatione abstinendum esse utroque in loco, acquiescendum autem esse in verbis τὸ φιλότιμον. adfert autem Lobeckius in Paralipomenis [19]) Eumenidum versum 1014., βᾶτε δόμῳ, μεγάλαι φιλότιμοι Νυκτὸς παῖδες, ubi id quod est φιλότιμος idem fere valere putat quod πολύτιμος. sed neque recte hanc vocem vir egregius interpretatus est neque mihi quidem hoc persuadere possum, ut Aeschylum Sophoclem Euripidem putem hanc secutos esse obscurandi confundendique rationem,

[18]) De interpoll. I. in Aul. I. pag. 6.

[19]) pag. 372.

quam tuentes videmus infimae aetatis homines, sicut ex Nonn. libr. 48. v. 430. φιλοπάρθενος Αὔρη idem adfert Lobeckius pro eo dictum quod est εὐπάρθενος Αὔρη. quae cum ita sint, et versum 22., omni ex parte illum quidem suspectum, de iure eiecisse mihi videntur Bothius et Hermannus neque versum 342., nullo modo necessarium illum quidem nec ita commodum, dubito secludere, sicuti utrumque versum non dubito uni eidemque tribuere interpolatori qui ut fabulae ipsa fabula amplificandae semper fuit intentus ita ex versu 19. versum 22., versum autem 342. ex summa fabricatus est versuum 339.—341.

V. V. 66. — Hermannum Nauckium Klotzium Dindorfium miror non vidisse Tyndarum procos fefellisse non minus quibus illos obstrinxit sponsionibus dici posse quam eo quod filiam amori indulgere passus est. quod si secum reputassent viri docti sine dubio quantum fieri potuisset accuratissime expressissent codicum scripturas. Klotzii autem ὧδε h. l. verum non esse puto propterea quod uberiorem nos expectare iubet doli descriptionem quam ea est quae legitur.

VI. V. 93. — Qui proxime antecedunt versus 91 sq., quorum utrumque apparet ex more tam Graecis quam Latinis valde usitato ita ad verbum ἀνεῖλεν referendum esse ut verbi illius iubendi vis ad priorem, dicendi vis ad alterum versum pertineat, ut artissime inter se cohaerent ita accurate condicionalem, ut ita dicam, hanc inierunt rationem, ut versus 92. apodosin addat versui 91. illi autem versui qui versum 91. tanquam refingens supervacanea eaque nimis abundanter dicta adiungit versus 93. et accuratam illam delet cohaerentiam, si quidem repetita et apodosi subiuncta protasis ferri non potest, et omni neglecta distinctione ac concinnitate dissimilia et diversissima adserendo componens molestissimam efficit aequabilitatem. his igitur accuratissime perpensis quid mirum quod Klotzii et Weilii nihil moratus cantilenas in sententiam discessi Nauckii versum illum molestissimum definite damnantis? [20])

Sed gravius quid adfero. nimirum verbi εἶναι tempus prae-

[20]) Adstipulatorem nactus est Vitzium l. l. II. pag. 12.

bitantem finxit, σκηνῆς ἐκτὸς ᾄσσειν dicitur, Monkius ut alia, de quibus non est quod verba faciam, ita Hermanno[18]) adsentiente hunc versum ut spurium abiecit. ego vero quin fallatur quicunque eum cum ceteris pugnare putat non dubito, si quidem aut miseras domos Aulidensium tabernis simillimas fuisse aut domui similem tabernam, utpote summo imperatori, Agamemnoni aedificatam fuisse facillimum est ad statuendum.

IV. V. 22. — Hunc versum prorsus carentem numeris, quos ut sana servata sententia restitueret frustra laboravit Marklandus, quamvis quod ille coniecit, καὶ φιλότιμον, nobis probare posse sibi visus sit Klotzius, primus delevit Bothius, item glossatoris esse coniecit Hermannus, secuti sunt Hartungus et G. Dindorfius. hoc autem si reputaverimus, ubi non eorum qui honorum studiosi sunt sed eorum ratio habenda est qui sunt in honoribus (τοὺς ἐν τιμαῖς) molestissimam esse ambitionis mentionem, praesertim cum eis quae statim secuntur a versu 24. nihil aliud nisi honoratos respici appareat, in Kirchhoffii sententiam mutilum hunc versum putantis haud facile discedemus, interpolatoris autem illam suspicionem probare vix opinor dubitabimus, nisi forte idoneam medicinam repperisse videatur Nauckius, qui hunc in modum versum restituit, καὶ τὸ πρότιμον. attamen miro sane modo in memoriam revocatur v. 342., ubi quod recurrit vocabulum φιλότιμον dubitari non potest quin ad ipsam eam usurpatum sit notionem significandam quae hoc nostro loco ferri potest una atque unica. vides igitur a qualicunque mutatione abstinendum esse utroque in loco, acquiescendum autem esse in verbis τὸ φιλότιμον. adfert autem Lobeckius in Paralipomenis[19]) Eumenidum versum 1014., βᾶτε δόμῳ, μεγάλαι φιλότιμοι Νυκτὸς παῖδες, ubi id quod est φιλότιμος idem fere valere putat quod πολύτιμος. sed neque recte hanc vocem vir egregius interpretatus est neque mihi quidem hoc persuadere possum, ut Aeschylum Sophoclem Euripidem putem hanc secutos esse obscurandi confundendique rationem,

[18]) De interpoll. I. in Aul. I. pag. 6.
[19]) pag. 372.

quam tuentes videmus infimae aetatis homines, sicut ex Nonn. libr. 48. v. 430. φιλοπάρθενος Αὔρη idem adfert Lobeckius pro eo dictum quod est εὐπάρθενος Αὔρη. quae cum ita sint, et versum 22., omni ex parte illum quidem suspectum, de iure eiecisse mihi videntur Bothius et Hermannus neque versum 342., nullo modo necessarium illum quidem nec ita commodum, dubito secludere, sicuti utrumque versum non dubito uni eidemque tribuere interpolatori qui ut fabulae ipsa fabula amplificandae semper fuit intentus ita ex versu 19. versum 22., versum autem 342. ex summa fabricatus est versuum 339.—341.

V. V. 66. — Hermannum Nauckium Klotzium Dindorfium miror non vidisse Tyndarum procos fefellisse non minus quibus illos obstrinxit sponsionibus dici posse quam eo quod filiam amori indulgere passus est. quod si secum reputassent viri docti sine dubio quantum fieri potuisset accuratissime expressissent codicum scripturas. Klotzii autem ὧδε h. l. verum non esse puto propterea quod uberiorem nos expectare iubet doli descriptionem quam ea est quae legitur.

VI. V. 93. — Qui proxime antecedunt versus 91 sq., quorum utrumque apparet ex more tam Graecis quam Latinis valde usitato ita ad verbum ἀνεῖλεν referendum esse ut verbi illius iubendi vis ad priorem, dicendi vis ad alterum versum pertineat, ut artissime inter se cohaerent ita accurate condicionalem, ut ita dicam, hanc inierunt rationem, ut versus 92. apodosin addat versui 91. illi autem versui qui versum 91. tanquam refingens supervacanea eaque nimis abundanter dicta adiungit versus 93. et accuratam illam delet cohaerentiam, si quidem repetita et apodosi subiuncta protasis ferri non potest, et omni neglecta distinctione ac concinnitate dissimilia et diversissima adserendo componens molestissimam efficit aequabilitatem. his igitur accuratissime perpensis quid mirum quod Klotzii et Weilii nihil moratus cantilenas in sententiam discessi Nauckii versum illum molestissimum definite damnantis?[20])

Sed gravius quid adfero. nimirum verbi εἶναι tempus prae-

[20]) Adstipulatorem nactus est Vitzium l. l. II. pag. 12.

sens cum in praesagiendis rebus futuris locum omnino non habeat tum male pugnat cum futuro tempore verbi ἔσεσθαι. num reputarunt hoc interpolatoris illi docti tutores? nego igitur illos locum accurate considerasse, si quidem non nisi invitus quis tale admiserit vitium: qua in temeritatis suspicione tanto minus dubito perseverare quanto accuratius aliud quid ab illis neglectum esse intellego maximi momenti. Est enim ubi recurrat oraculi mentio: quo in loco cum fere eadem quae hoc loco usurpantur verba, eodem autem quo hic modo mandatis adiungantur promissa, non est dubium quin utroque in loco quodam modo ipsius oraculi habeamus verba. quid autem quod in posteriore loco, verborum collocatione illo quidem tuto ab interpolatorum temptaminibus, omissum est quod in priore loco molestissime fertur addidamentum. ipse quaeso compares.

vers. 358 sqq.

κᾆτ᾽, ἐπεὶ Κάλχας ἐν ἱεροῖς εἶπε σὴν θῦσαι κόρην
Ἀρτέμιδι, καὶ πλοῦν ἔσεσθαι Δαναΐδαις, ἥσθεὶς φρένας
ἄσμενος θύσειν ὑπέστης παῖδα.

Denique quid causae habuerit interpolator quae nemo nostrum ne desiderat quidem diserte addendi inde opinor cognoscitur quod versus 92. et versus 91. artissimam cohaerentiam hebetis animi homini facile neglectam esse probabile est.

VII. V. 105. — Ἀμφὶ παρθένου nego Euripidi unquam idem fuisse quod latine est *circa virginem*. sic igitur struendum videatur, ἀμφὶ τὸν τῆς παρθένου γάμον, *circa virginis matrimonium*. sed si mendacia componuntur circa virginis matrimonium, scilicet illud si mendaciis quasi circumdatur, non potest non inde colligi certe ipsum illud matrimonium non commenticium esse. ergo, ut sanam habeamus sententiam, συνάψας ψευδῆ γάμον iungendum est, pro genetivo autem παρθένου aut accusativus restituendus est παρθένον aut dativus παρθένῳ, unde optimum hunc eruimus sensum, *commenticio circa virginem composito matrimonio.*[21]) particula enim ἀντί postquam quod

[21]) cf. Choe. 216.
ἀλλ᾽, ἦ δόλον τιν᾽, ὦ ξέν᾽, ἀμφί μοι πλέκεις;

Marklandus revocavit ἀμφί loco suo detrusit, cum nullo modo neque cum accusativo neque cum dativo strui posset, genetivum attraxit a correctore aliquo illatum. Ceterum Klotzius ut corrigat tantum abest ut singulares argutias huic sermoni inesse demonstrare conetur. ex composito enim ambigua illa oratione Agamemnonem ait usum esse, scilicet ut ad fallaces potius quam ad simulatas nuptias senex illa verba pertinere putaret. contra quod hanc orationem non ambiguam sed mendacem esse statuendum est. minime enim duplici modo hic versus accipi potest, sed semper hoc quisque inde intelleget, *mendaciis circa virginis matrimonium compositis*, nunquam hoc eliciet, *commenticio circa virginem composito matrimonio.*[22])

VIII. — Quae Agamemno de oraculo a Calchante edito deque dolo exposuit quo Clytaemnestrae persuasuri erant ut filiam in castra mitteret ducumque pontificisque in potestatem traderet, ea tam clare et distincte narrata sunt ut a nemine non possint intellegi. prae aliis autem commenticias esse illas Achillis cum filia nuptias cuique hominum et ex eis apparet a quibus exordium facit Agamemno, οὖ δή μ᾽ ἀδελφὸς — ἔπεισε τλῆναι δεινά, quibus vix quisquam apte significari putet matrimonium quamvis coactum atque odiosum, neque potest non colligi ex particula ὡς participio γαμουμένην addita, denique optime sequitur ex vers. 104 sq., quamvis minime nesciam in his oblucutores me habere eos qui sectantur Klotzium. neque magis si quis vers. 106 sq. Agamemnonem audierit hoc dicentem, praeter se tres tantum homines consilii illius participes esse, Calchantem Ulixem Menelaum, dubitare licebit quin Achilles et prorsus alienus sit a filiae matrique quas struxerunt insidiis neque ludi una cum his, immo quisque hoc pro certissimo habebit, omnium plane ignarum esse Achillem. Merito igitur Bremius[23]) senem miratus est quod vers. 124 sqq. ex ero quaerit, Achilles num leviter laturus sit quod spes Iphigeniam in matrimonium

[22]) In versu 107. moneo *Κάλχας τ᾽ Ὀδυσσεύς κτλ.* scribendum esse commate posito in fine eius versus qui proxime antecedit.

[23]) Philologische Beytr. I. pag. 147 sq.

ducendi se fefellerit. profecto vitium a viro illo docto detectum esse concedamus necesse est gravius quam quod ab ipso Euripide profectum esse possit. frustra enim laborarunt ei qui hoc nobis persuadere conati sunt, vel leviusculum vel prorsus nullum esse vitium, quamvis in eorum numero unum invenias e primoribus. Hermannus[24]) enim, ut tolleret suspiciones a Bremio motas, vers. 97 sq. (*οὖ δή μ' ἀ. — δεινά*) et vers. 104.—107. (*πειθὼ — Μενέλεώς θ'*) statuit submissiore voce et aversum ab sene Agamemnonem dicere. sed et prorsus nemini hoc persuadebat vir egregius, id quod merito factum est, et ipse postea deposuit hanc sententiam[25]). tum temporis refutavit eum Mehlhornius[26]), repugnarunt Bartschius[27]) Hartungus[28]) Witzschel[29]) Firnhaberus[30]) Klotzius[31]) Vitzius[32]). optime inprimis Firnhaberus hoc monuit, nullam Agamemnoni causam esse celandi ea quae mox plane aperturus est.

Sed ipse Firnhaberus quae protulit ut, qui eius est mos, omnia optime se habere demonstraret, eis longe absum a subscri-

---

24) edit. praef. pag. XII.

25) De interpoll. Eur. Iphig. in Aul. I. pag. 4. Hartungi sectator factus est vir clarissimus. Nec tamen praetermisi ea quae ipse antea statuit primum enim haec propria sententia fuit ipsius Hermanni, illa, quam postea tuebatur, ab alio profecta est. deinde ea quae tum professus est Hermannus, quamvis, summam si spectas, nullum, quantum scio, sibi comparaverit manifestum plausum, singula tamen aliis magni;sine dubio momenti fuerunt in iudiciis ferendis. tum tanquam historici ratione nec tamen chronologiae legibus accuratissime observatis narrandum mihi esse putavi quae quoque tempore de hoc prologo viri docti statuerint.

26) Allgem. Schulzeitg. a. 1833. no. 79. pag. 631.

27) De Euripide Iph. Aul. auctore. pag. 5.

28) Eur. Iph. in Aulid. pag. 83.

29) ubi censuit Hartungum, Neue Jahrb. a. 1839. vol. XXVII. fasc. I. pag. 61.

30) Euripides Iph. in Aulis. pag. XXX.

31) ad vers. 98. 105. idem quod Vitzio accidisse videtur Klotzio, ut et dissertationum ab Hermanno ann. 1847 sq. editarum ignarus fuerit neque quas ibi novas vir egregius proposuit sententias cognoverit.

32) De Iph. Aul. auct. et fatis. I. pag. 6 sq.

bendo[33]). atque eis quidem refutandis supersedeo quibus senem consulto a poeta fictum esse exposuit non intellegentem quae dixerit Agamemno. neque enim ullo modo ambigua illa sunt, ut supra dixi, neque ullum unquam Graecum poetam in tali tragoedia hominem prorsus stolidum ac fatuum introduxisse credi potest. terrore autem tanquam attonitum ac stupidum sensuumque impotentem vere si fingere voluisset poeta, aptius et simplicius hoc fecisset, ut accurate intellegerent auditores quem finem persecutus esset neve ambigerent terror an stultitia tantum in senem valeret. In universum hoc dixi contra omnes qui similia ac Firnhaberus monuerunt, velut E. Mueller.[34]) Witzchel.[35]), qui stultitiam senis excusarunt, et Klotzius, qui dictorum ambiguitatem evicisse sibi visus est.

At Firnhaberus, tanta moliri cum non satis haberet, saepius tragicos, ut omnia plane perspicerentur, eadem repetisse demonstrare conatus est. quasi hoc unquam in suspicionem vocari posset, quasi demonstratione opus esset hac in re, exemplis autem quasi aliquid proficeretur in rebus inter se dissimilibus. ac primo quidem loco quae enumeravit minime huc pertinent, utpote quibus hoc diserte addatur omnibus, denuo aliquid sive audiendum sive dicendum esse. deinde autem qui secuntur loci aperte sunt interpolationibus temptati, Phoen. 141 sqq. dico coll. 96 sq.[36]) et Eur. El. 57 sq. coll. 64 sqq., quorum prior accedit quod a Firnhabero ne ita quidem ut decebat acceptus est[37]). denique Troad. vers. 622.—625. coll. v. 264. silentio

---

33) l. l. pag. 256 sqq.

34) ubi censuit Bartschii libellum, Ztschr. fr. Altthm. a. 1838. no. 22. pag. 181.

35) l. l.

36) Phoen. vers. 139.—144. video nuperrime a Leutschio (Philologisch. Anzeiger no. 6 pag. 170) prorsus damnatos esse, quod num merito factum sit vehementer dubito.

37) Nam Antigone non unde paedagogus haec sciat interrogat sed qua ex re hoc colligat (*αἰσθάνει*), Tydeum et Hippomedontem istos duces esse de quibus adhuc quaestio fuit: unde sequitur neque eas res illam quaerere quas senex iam exposuerit neque ferri posse versum 143., quem tum addi-

praetermittam, quippe qui locus ne tantilla quidem ex parte cum nostro comparari queat. Firnhabero hoc quidem loco adiungendus est Weilius[38]), qui eadem atque ille usus est ratione eodem cum eventu. adsimulavit is Or. vers. 757. coll. vers. 731., non reputans Euripidem stichomythia quae dicitur ubicunque usus est varie varias admisisse licentias, excusandas illas his quidem in locis, alios in locos nullo modo transferendas.[39])

Nunc pedem ad eos proferamus qui hoc tenent, et turbatum esse hunc locum neque prologi eam esse formam qua ille ab Euripide instructus sit. Ac primo quidem loco ratio habenda est Bremii et Matthiaei.

Bremius quas excitavit dubitationes, quibus addidit hanc, ridicule ad senis verba v. 44., *φέρε κοίνωσον μῦθον ἐς ἡμᾶς*, longissima oratione Agamemnonem respondere, satis magnas ha-

tum esse suspicer cum in versu 142. quod nunc legitur *τότ'* locum obtinuit eius vocabuli quod Euripides scripserit, *τάδ'*. — Electrae autem versus 57 sq. spurios esse inde apparet quod plane pugnant cum eis quae vers. 71 sqq. dicuntur.

38) Sept tragédies d'Euripide.

39) Sed omnino dubito num accurate illum Orestis locum Weilius perspexerit. nihil enim monuit de particula *ὡς* v. 731. participio *κτενοῦντας* addita, quanquam hac unica vocula deleri apparet qualencunque illam repetitionis suspicionem molestissimam. nihil aliud enim Pylades narrat quam ita adfectos se vidisse contionis animos quasi Orestes et Electra statim interficiendi essent. at vere nihil cogitat de morte. quare aptissime vers. 757. quid tandem quaerit contio diiudicatura sit. Ceterum quod molestissimum est vix sanavit Weilius. versus enim 755., qualem editiones praebent, male se habet.

ΠΥ. ἐν κακοῖς ἄρ' εἶ μεγίστοις, καὶ σ' ἀναγκαῖον θανεῖν.

nam et neglegentius institutum est quam quod vel in stichomythia ferri possit quod uno versu interiecto idem Pylades prorsus se ignorasse ostendit num moriturus sit Orestes necne, neque ipse Pylades secum concinit, quoniam post tres tantum versus, ubi *φεῦγέ νυν* inquit *λιπὼν μέλαθρα σὺν κασιγνήτῃ σέθεν* servari posse Orestem indicat. et illud *φεῦγε* optimam suppeditat medelam. nimirum aperte v. 755. sic scribendus est,

ἐν κακοῖς ἄρ' εἶ μεγίστοις, καὶ σ' ἀναγκαῖον φθάνειν.

praeferendam quidem hanc puto ei rationi quam praeeuntibus Prevosto et Klotzio secutus est Weilius, ut in fine signum interrogationis posuerit, quod sententiae pars prior aperte moleste fert.

buit unde iure cum Boeckhio Eichstadio Jacobsio duplicem fuisse Iphigeniae Aulidensis editionem statueret[40]). Praeterea novas suspiciones, quae Musgravio[41]) ortae quidem sed neglectae erant, movere sibi visus est Matthiaeus cum et hoc gravissimum esse monuit, tam Euripidis quam Sophoclis fabulas omnes ab iambis incipere, unam Iphigeniam Aulidensem et ab anapaestis incipere et hoc metri genere non chorum utentem induci sed personas inter se colloquentes, neque illud praetereundum esse putavit quod olim Hermannus notaverat, contra morem Euripidis ab anapaestis ad iambos, ab iambis ad anapaestos transiri.[42]) sed nullius momenti utrumque hoc esse ad qualiacunque demonstranda ipse monuit Hermannus[43]) comprobantibus Mehlhornio[44]) Bartschio[45]) Witzschelio[46]) Firnhabero[47]), adstipulatus est G. Dindorfius[48]) praeeuntibus aliis ex Andromeda prologi anapaestici exemplum adferens, cuius loci simillima est ratio ac nostri (quanquam, etsi a iambis hos anapaestos exceptos esse aliquo iure conicimus, num in eodem prologo iambicos versus secuti sint anapaesti prorsus ignoramus), nec debebat opinor dubitationes renovare nuper Vitzius[49]).

Porro corruptionis indicia indagans Matthiaeus quod offendit cum in toto qui vers. 112 sqq. continetur loco tum in ipso

40) vid. hui. lib. pag. 41.

41) Eurip. ed. Lips. Barn. Beck. etc. vol. III. pag. 373. agnoverunt Musgravii suspiciones Marklandus Beck. (Diatr. de Rheso § 8.) Boeckh. Gr. tr. pr. pag. 214

42) Eur. tr. VII. pag. 322 sq.

43) edit. pag. IX. sq. — postea eum mutasse sententiam supra monui. sed ego quidem teneo quod antea Hermannus statuit, argumentum ex nova illa prologi ratione non esse petendum. cf. etiam quae pag. 47. comprehendi.

44) l. l. pag. 629.

45) l. l. pag. 5. in.

46) l. l. pag. 60.

47) l. l. pag. XXV sq.

48) Eur. tragg. superst. tom. III. pag. 439.

49) l. l. I. pag. 6. in.

vers. 113. aperte nihili est, quamvis adnuat G. Dindorfius[50]. namque idoneam ea quae in epistula scripta erant communicandi causam ut in laudato Iphigeniae Tauricae (vers. 760 sqq.) ita hoc nostro loco habuit poeta, cum et auditores et senem accurate vellet totam perspicere rem, quam ex eis quae huc usque Agamemno exposuit nullo modo bene cognitam haberi posse facile quisque intelleget. profecto enim sane obscura sunt illa ἃ δ᾽ οὐ καλῶς ἔγνων τότ᾽ αὖθις μεταγράφω καλῶς πάλιν, quibus solis indicatur epistulae argumentum. quod autem idem fere versus huc ex altera Iphigenia tanquam transcriptus videtur, monendum est eum in numero versuum esse eorum quos formulas appellari non dedeceat sive proverbialem vim occupasse malis. adscribo eorum quos memoria sponte praebet. Med. 270. et Troa. 708. Med. 748. et J. T. 738. J. A. 311. et Andr. 588. J. A. 312. et Hel. 1640 sq. (J. A. 985. et El. 672.) cf. Med. 693., quem versum etiam in Peliadibus locum habuisse tradunt scholia. ceterum haec omnia bene notandum est ita comparata esse ut ubi eisdem agebatur de rebus vel invitus poeta ea repeteret necessario, si quidem hic et illic eisdem opus erat vocibus.

Quod denique alterum argumentum de suo addidit Matthiaeus, absurda esse quae vers. 153 sq. senex quaerit, commemorasse satis habeo. Illis autem expositis vir doctissimus, haec igitur talia sunt, inquit, ut initium certe fabulae longe aliter ab ipso Euripide constitutum fuisse quam ut nunc legitur dubitare vix liceat.

Vides haec ut multo aptius collecta sint quam ea quae de duplici fabulae editione eisdem quibus Matthiaeus argumentis usus disputavit Bremius. at Matthiaei sententiam mox examinabimus, nunc Hermannum sequi liceat ad Bremium.

Hic de prologo iambico, longiorem dico orationem Agamemnonis anapaestis interpositam, quas moverat suspiciones[51]) ut inanes esse doceret vir summus[52]) satis artificiose disputavit

[50]) l. l. pag. 441.

[51]) vid. hui. lib. pag. 39.

[52]) In libello illo qui prior est de interpolationibus Iph. Aul. Bremii suspicionem eo agnovit quod Hartungi de prologo sententiam adoptavit.

de Agamemnone non ad ea attendente quae senex responderi vellet[53]), unde factum est ut obloquentes nactus sit Mehlhornium[54]) Bartschium[55]) Zirndorferum[56]). quoniam enim iambos novo hoc loco positos esse mirari non debemus, satis erit monere quae iambis istis contineantur, ea spectatores sciant necesse esse, praesertim cum ea respicitur lex quam de prologorum ratione sibi praescripsit Euripides. quod autem illo studio abreptus poeta aliquantulum laesit veri similitudinem neque mirum est neque, id quod rectissime addidit Hermannus, magis nota dignum quam quod eius generis ceteri praebent Euripidis prologi[57]). haec secum reputantes etiam Welckerus[58]) et Firnhaberus[59]) minime Bremio oboediendum esse putarunt duas Iphigeniae editiones fuisse statuenti, quarum certe prologos, alterum vers. 49. — 110. aliaque pauca continentem, alterum vers. 1. — 48. vers. 115. — 163. complexum, inter se diversissimos fuisse[60]).

Quod Bremius omisit, remotis iambis necessario putandum esse inter anapaesticas partes non nulla interiisse, notavit Hermannus, qui istam lacunam negavit aliter expleri posse quam ut senex et credat nuptias Iphigeniae et Achillis instare et tamen immolatum iri virginem ab Agamemnone audiat, quare nihil remotis iambis profici, potius qua vers. 124 sqq. cum iambis concinentes redderentur anquirendam esse rationem. arripuit hoc Mehlhornius[61]) ut hanc lacunam optime ita expleri posse ut repugnantia ista tollatur demonstrans Bremii rationem ei

[53]) edit. pag. XI. in.

[54]) l. l. pag. 630.

[55]) l. l. pag. 5.

[56]) De Eur. Iph. Aul. pag. 11.

[57]) cf. etiam E. Mueller. l. l. no. 22. pag. 182.

[58]) Gr. Trag. II. pag. 649.

[59]) l. l. pag. XXVIII. 78 sq.

[60]) De initio fabulae ex duobus exordiis conflato adsensum patefecit Lud. Dindorfius (Eur. fabb. vol. II pag. 536.) neque tamen cogitavit de tota fabula dupliciter edita. vid. hui. lib. pag. 20.

[61]) l. l. pag. 630.

quam Hermannus proposuit praeferendam esse exponeret. sed ut concedamus ingeniosam esse Mehlhornii coniecturam, argumentis Bremium minime munivit.

Tamen argumentis si caret parum credibilis est eius sententia. praeterea hoc non nihil habet momenti, quod, si duos fuisse prologos conceditur, ne cogitari quidem potest causa qua aliquis adductus sit, non ut aliarum Euripidis tragoediarum rationem adsecuturus tanquam ipsa natura monente iambos anapaestis praefigeret, sed ut artificiosam istam excogitaret contaminandi rationem.

Item argumentorum auxilio carent quae excogitavit Hartungus[62]), cui tam anapaestis quam iambis in eadem editione Euripides usus esse sed ita eos distribuisse visus est ut iambicum prologum, quem postea ineptus ac fastidiosus aliquis grammaticus magna adhibita arte ac cura in eum quo nunc legitur inculcaverit locum, anapaesti uno quasi corpore comprehensi exciperent. Vide exordium anapaestorum, quod praeclare, si quid video, tanquam praeluditur tragoediae, quam absurdum sit in media fabula, eis quae Agamemno seni mandaturus est accurate a spectatoribus cognitis. nihil nisi ridiculum minimeque tragoedia dignum senis timorem Hartungus Agamemnoni obtrusit. Hermannus autem, qui postea Hartungo adsensus est[63]), E. Muellerum, qui Hartungum eo refutari putavit quod nullus extaret Euripidis prologus in quo non statim initio is qui loqueretur indicaret qui esset[64]), optime quidem coarguit Orestis Phoenissarum Medeae Heraclidarum Helenae Electrae Alcestidis prologos adferens, ubi eodem quo hic modo adspectu aliisque spectatores cognossent quis prodiret. sed quo Hartungus probaretur argumentum adferre non potuit, in eis autem quae, iambi si praefigerentur, ferri non posse modo docui Hermannus non offendit.

---

62) l. l. pag. 84 sq. — adsensus est nuper Vitzius I. pag. 7.
63) De interpoll. Iph. in Aul. I. pag. 4.
64) l. l. no. 22. pag. 181.

G. Dindorfius[65]) difficultatem tollebat prologum iambicis versibus scriptum antiquiori alicui interpolatori tribuens, quem Euripidem minorem fuisse suspicatus est. iste enim prologus orationem viro docto prodidit minus quam qua Euripides in prologis uti solet poeticam. itaque hoc statuit, Euripidem duas elaboratas quidem sed non coagmentatas reliquisse exordii partes, alteram vers. 1. — 48. complexam, alteram vers. 115 sq. 119. — 163., quae ut inter se cohaererent, ab altero isto poeta insertos esse vers. 49. — 114. 117 sq. At illud de quo pendet tota argumentatio, versus istos iambicos vere aliam atque Euripidis prodere artem, exemplis monstrare neque voluit vir doctus neque potuit, ut aperte dicam quid sentiam. namque etiamsi orationem huius loci magis pedestrem quam aliorum esse concedimus, quanquam minime desunt ex quibus plane Euripidis redoleat consuetudo[66]), tamen neque unquam loci immemores erimus quo haec leguntur qui non est primum exordium fabulae, neque eo procedemus ut reliquos Euripidis prologos omnes magis poetica oratione scriptos esse nobis persuadeamus. quod statui praeter alios vetat prologus Electrae, qui, si primos versus excipias circiter octo, orationem habet pedestrem non pluribus quam quibus hic locus splendet poesis luminibus distinctam. quae cum ita sint, interpolatoris esse hos versus vir doctus nullo modo nobis persuadebit.

Idem igitur accidissse videmus omnibus qui singularum prologi partium alium qualencunque statuerunt ac quem libri tradunt ordinem. argumentis scilicet usi sunt vel aperte falsis vel ad probanda ea quae illi demonstrari voluerunt parum sufficientibus vel eis quae num vera sint semper certe ambigetur, qualia ea sunt quae colliguntur ex prologi forma.

Itaque hoc conficitur ex eis quae huc usque disputata sunt,

---

65) l. l. pag. 441. Poet. scen. ed. V. Eur. pag. 264. — Eidem interpolatori antiquiori priore loco vix dubitavit D. parodi quoque addidamenta tribuere. nunc aliter censet, quia haec manum minus quam prologus iambicus peritam prodant. quod quam recte iudicatum sit infra videbimus ubi de altera parodi parte disputatum est.
66) cf. totum exordium, inpr. vers. 53 sq. v. 56. v. 69. v. 70.

ex sententiis quas de Iphigeniae Aulidensis prologo tulerunt viri docti neque eas probabiles esse quae integrum eum nulliusque interpolatoris temptaminibus turbatum ad nos venisse voluerunt neque placere posse eas quae inde profectae, perturbatum eum esse minimeque qualem Euripides eum composuerit, varias proposuerunt explicandi rationes. immo, quoniam unum tantum est in quo merito offenditur, illud a primo Bremio notatum a quo huius disputationis exordium feci [67]), necessario id solum concedemus quod ex uno illo colligitur argumento. quare ex omnibus illis quas supra exposui sententiis sola Matthiaei stare potest, quanquam in ea, cum finibus circumscripta sit parum certis, apparet non posse nos acquiescere nisi si longius procedi omnino non posse intellexerimus. liceat mihi igitur periculum facere, huius prologi naturam si accuratius definiam genuinamque restituam speciem.

Tenenda putavi haec, neque in forma huius prologi minus usitata [68]) neque in eo offendi licere quod amplior ac longior videri possit narratio Agamemnonis [69]), sermonem autem totius loci, in universum si spectamus, eiusmodi esse ut nullo modo num Euripidi eum tribui liceat possit dubitari [70]). sed tertium hoc cum minime impedimento sit quominus interpolatoris addidamenta notemus ubicunque occurrunt tum alieni hominis vestigia deprehendisse mihi visus sum. qua in re eam ob causam mihi indulsi quia, si eos quos specto versus eiecerimus, prologum habebimus omnibus ex partibus absolutum. Quos dicam versus facile quisque suspicatus erit, ipsos illos scilicet qui causam praebuerunt offendendi primam, vers. 124. — 127. et qui necessario eos secuntur vers. 128. — 132. ita enim opinor hic locus ab Euripide scriptus est ut v. 133. exciperet versum 123., quod non vidit is qui novem istos versus inculcavit, quomodo senex, qui deponere Agamemnonem triste illud consilium modo audivisset, de terribili eius

[67]) vid. hui. lib. pag. 35.

[68]) vid. pag. 39. 47.

[69]) vid. pag. 41.

[70]) vid. pag. 43.

conatu verba facere posset non intellegens. at optime id factum esse docebo postea quam in versu 133. pro *δεινά γε τολμᾷς* scribendum esse *δεινά γ' ἐτόλμας* monuerim, qua in re necessario oboediendum erit, quicquid statuemus de loci natura [71]).

Prorsus igitur obscura ea esse quae Agamemno postquam clandestinas de sacrificanda Iphigenia machinationes exposuit de mutato hoc consilio dixit, quare necessario legi epistulam supra monui [72]). senem igitur apparet domino aperire quae sentiat non posse antea quam versibus 115 sq. 119. — 123. perspexerit omnem rem. quo non dubito quin hoc accedat, quod servus magis vereatur dominum quam cui aperte obloquatur tantis in rebus inque consilio una cum Graecorum primoribus capto. quare mutasse se consilium si Agamemno non accuratius exponeret quam in iambis indicavit, senex fortasse quid ipse sentiret omnino non profiteretur. nunc vero, postquam dominum qualem debebat talem se praestitisse vidit, et adsentitur et aperte addit de priori consilio quid sentiat. duplex igitur causa est cur nunc demum senex libere loquatur. eis autem quae nunc Agamemno statuit adsentitur ea vituperando quae ille antea machinatus sit [73]), quo efficitur ut pater filiae periculum denuo reputans magnopere sollicitetur vehementerque moneat ut iter acceleretur. Sed magna

[71]) *δεινά γε τολμᾷς*, sive versum 132. sive versum 123. excipit, nihil aliud dicit nisi terribilia audere Agamemnonem eis quae nunc agat: ergo senem facit dehortantem ab Iphigenia servanda, quod ridiculum est. enuntiatio autem quae sequitur relativa, ne prorsus supervacanea praedicans ineptissima sit, causam addere putanda erit cur recte dicatur Agamemno terribilia audere. haec igitur praebent libri: *terribilia audes, qui filiam tuam deae filio spondens victimam adducebas Graecis*, i. e. *nunc terribilia audes, nam filiam tuam deae filio spondendo victimam Graecis te adducturum esse promisisti* (*„cui promisso nunc turpiter non vis satisfacere*). haec Agamemnonem ne filiam servaret aperte dehortantis sunt. sufficiunt haec opinor ad id probandum quod conieci, *δεινά γ' ἐτόλμας*.

[72]) vid. hui. lib. pag. 40.

[73]) Huic explicandi rationi forsitan aliquid probabilitatis addat particula *γέ*. sic enim reddam haec verba: *recte fecisti, Agamemno. namque terribilia audebas* cum filiam tuam deae filio spondens victimam adducebas Graecis.

cum arte quae instituit poeta non intellexit hebetis animi interpolator. is, cum deesse putaret quo oratio senis referretur, versus 124. — 132. ingessit, quibus duplex illatum est vitium. quorum de altero non est quod amplius dicam, quippe de quo tota haec est disputatio, in altero etiam alii leviter offenderunt, senem scilicet stupidum, qui Agamemnonem ample et dilucide disserentem non intellexerit, subito ex satis obscura atque inani Agamemnonis magnifica declamatione totum colligere dolum.

Ceterum interpolatoris, cuius vestigia accurate monstrasse mihi videor, linguam si examinabimus, nihil deprehendemus in quo offendamus, sermonem autem minime Euripide indignum esse arbitror, quanquam notare licebit tam tripartitam divisionem vers. 129.—132. ubi bipartitam expectaveris, quam orationem nimis magnificam cumulatisque verbis impeditam. sed prius nescio an exemplo defendatur, si opus erit, vix merito in suspicionem vocato, Med. vers. 856.—858., alterum quod attinet, non dubito quin facile reperiri possint similis ubertatis exempla, quomodo versui 130., ubi sive *αὐτῷ* sive *ἑαυτῷ*, non *κείνῳ*, expectaveris, comparari potest Or. v. 292., ubi ipsius Agamemnonis verba quin adferantur non licet dubitare[74]). His consideratis istum hominem, quem non ita multis annis post Euripidem vixisse necessario statuemus, Euripidem minorem fuisse haud inepte suspicabimur.

Habemus igitur opinor prologum ab ipso Euripide perfectum ad ultimumque finem perductum qui ubi minime debebat manum expertus est Euripidis minoris versus illos 124.—132. inculcantis. execatis vero illis versibus prorsus nihil relinquitur

---

[74]) Apparet igitur Graecos ab altero dicta aut cogitata ita plerumque attulisse ut non, id quod solebant Latini, ipsa dicendi ratione non suas sed alieni hominis partes se agere indicarent, sed ut narrarent simpliciter quae dicta et cogitata erant. inde plerumque usi sunt modo indicativo in alienis orationibus adferendis, inde pronominis *αὐτός* casus obliqui saepe loca occuparunt vocum *ἑαυτοῦ* etc.

suspecti, nisi in singulari offendas forma. qua in re nunquam me habebis sectatorem, sed opponentem semper ea quae olim docuit Hermannus supra passim a me indicata, et periisse multas fabulas quae quale exordium habuerint nescimus et eo tempore quo haec tragoedia scripta est Euripidem, ut inventi novitate placeret, ad insueta confugisse satis credibile esse. haec si obiciemus, certe hoc impetrabimus ab eis qui praeiudicatis carent opinionibus, ut concedant in hunc prologum qui inquirunt, non posse eos qualecunque argumentum petere ex prologi forma, in eam autem si forte quam modo proposui discedant sententiam, qua quae statui accurata munivi argumentatione. plus autem me adsecutum esse quam profecerunt ceteri non est cur moneam, cum illos appareat mutilata membra ignoti corporis deprehendisse, mihi contigerit ut prologum restituerem absolutum omnibus ex partibus, quod quanti momenti sit ad sententiam meam probandam minime me fugit.

IX. V. 128. — Hunc locum viri docti a Libanio Ep. 1398. pag. 642. indicari putant, cuius haec sunt verba ab Ungero recte emendata: *τοῦτο δέ ἐστι δοκοῦντος φιλεῖν οὐ φιλοῦντος καὶ κατὰ τὴν τραγῳδίαν ὄνομα ἀντ᾽ ἔργου* (*ἔν τερπου* cod.) *παρεχομένου*. Nauckius igitur illud *ἀντ᾽ ἔργου* in ipsius poetae verba recipere non dubitavit: quo in recipiendo magnopere vereor ne lapsus sit egregius criticus, ea dicentem faciens poetam quae huius loci natura ferre non possit. namque *ὄνομ᾽ ἀντ᾽ ἔργου* si in nostro versu legimus, Achilles quam matrimonio sibi iungere pollicitus fuerit Iphigeniam nunc fraudem se fecisse professus negasse videtur uxorem se ducturum esse. verba enim qui pro factis dat, eius consilium est fallere. atqui quoniam Iphigeniae nuptiarum Achilles prorsus ignarus de matrimonio nec dedit promissa nec solvere dubitavit, tenendum erit *ὄνομ᾽, οὐκ ἔργον*, quae verba sensum praebent minus artis finibus circumscriptum. Ceterum mihi quidem Libanius non videtur hunc locum respexisse, quoniam, nisi externam spectes formam, scilicet nisi nimium ponderis tribuas usitatissimo verbo *παρέχειν* utroque in loco usurpato, non video quomodo alter alterius loci similis

sit. multo melius cum Libanii sententia congruunt Orestis illa (Or. 454 sq.),

ὄνομα γάρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι
οἱ μὴ ἐπὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι.

maxime autem probabile hoc mihi videtur, certae alicuius tragoediae Libanium omnino non habuisse rationem, illud autem κατὰ τὴν τραγῳδίαν nihil aliud sibi velle quam nostrum illud, *ut poetae dicunt*, vel, *ut verbis utar poetae*, quae ibi quoque addere solemus ubi locutione usi sumus pluribus usitata. saepissime autem apud tragicos ἔργον et ὄνομα obviam ferri inter se opposita quis nescit? et signum oppositionis plerumque aut οὐκ erit aut ἀντί.

VERS. 224.

X. — Bothius cum ἀντήρεις propterea equos funarios dici scripsit quod cum iugalibus equis illi contenderent de velocitate atque agilitate nescio quid senserit, si quidem καμπαῖσι δρόμων, id quod non potest non de flectendo cursu intellegi, qui velocitate inter se aemulantur equi mala instituti sunt disciplina. inter flectendum enim cum accelerandus sit cursus equo extremo, interiores quo quisque amplius ab illo distat eo magis retardare debent cursum. Neque verum vidisse videntur Klotzius et Weilius, qui ita acceperunt ea quae sunt ἀντήρεις καμπαῖσι δρόμων quasi inter se aemulentur equi funarii in cursu flectendo, quoniam in flexibus diversis modo hic modo ille funarius velocius currere debeat: qua in re eo opinor falsi sunt quod a quo proxime positum est dativo adiectivum ἀντήρεις neglexerunt non posse separari. Quae cum ita sint, ἀντήρεις καμπαῖσι δρόμων propterea mihi quidem dici videntur equi funarii quod ex adverso sunt flexuum. funariorum enim alteruter, prout ad dextram aut ad sinistram manum auriga currum dirigit, primus omnium equorum flecti debet, et ea quidem de causa quia proximus a viae anfractibus ideoque e regione est flexuum.

DE PARODI PARTE ALTERA.

(Vers. 231. — 302.).

adiungitur de priore parte sententia.

XI. — Abiudicarunt Euripidi hanc alteram parodi partem a primo Boeckhio Euripidi minori adscriptam [75]) Hermannus Hartungus G. Dindorfius Bartschius [76]) Vitzius [77]), quorum sententiae prae aliis licet Firnbabero et Schoenio [78]) refragantibus non potui non subscribere.

Quicunque enim hoc carmen Euripidis esse volunt eo loco qui est vers. 242 sqq. refutantur omnes. male enim id quod inde de rebus Argivis a Mycenaeorum civitate seiunctis statuisse videmus huius carminis auctorem abhorret a ratione tragicorum, qui Agamemnonem ubicunque sive in ipsam scenam producunt sive commemorando respiciunt ignoratis omnibus minoribus regibus Homericis regem faciunt utriusque civitatis. qua licentia ita utitur Aeschylus ut per totam Oresteam Mycenarum, unde Atridas originem traxisse tradit Homerus, ne mentione quidem facta regiam urbem Argos faciat, quos Diomedi aliisque tribuens Homerus solas Mycenas Agamemnoni subiectas esse vult. quod contra Sophocles, qua de re optime docemur Electrae et exordio et versu 1459., Agamemnonis in potestatem utraque data civitate accurate Mycenaeorum urbem seiungit ab Argis. Neque Euripides rationem revocavit Homeri, sed illi quoque Mycenaeorum et Argivorum constat unam fuisse civitatem eamque unius subiectam imperio, id quod accuratissime primum ex compluribus huius tragoediae apparebit locis, quos deinceps enumerabo singulos.

---

75) l. l. cap. XIX.
76) N. Jahrb. vol. XXXIII. a. 1841. pag. 24.
77) l. l. I. pag. 10.
78) Mus. Rhen. vol. V. a. 1847. pag. 80.—107. 228.—245.

sit. multo melius cum Libanii sententia congruunt Orestis illa (Or. 454 sq.),

ὄνομα γάρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι
οἱ μὴ 'πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι.

maxime autem probabile hoc mihi videtur, certae alicuius tragoediae Libanium omnino non habuisse rationem, illud autem κατὰ τὴν τραγῳδίαν nihil aliud sibi velle quam nostrum illud, *ut poetae dicunt*, vel, *ut verbis utar poetae*, quae ibi quoque addere solemus ubi locutione usi sumus pluribus usitata. saepissime autem apud tragicos ἔργον et ὄνομα obviam ferri inter se opposita quis nescit? et signum oppositionis plerumque aut οὐκ erit aut ἀντί.

VERS. 224.

X. — Bothius cum ἀντήρεις propterea equos funarios dici scripsit quod cum iugalibus equis illi contenderent de velocitate atque agilitate nescio quid senserit, si quidem καμπαῖσι δρόμων, id quod non potest non de flectendo cursu intellegi, qui velocitate inter se aemulantur equi mala instituti sunt disciplina. inter flectendum enim cum accelerandus sit cursus equo extremo, interiores quo quisque amplius ab illo distat eo magis retardare debent cursum. Neque verum vidisse videntur Klotzius et Weilius, qui ita acceperunt ea quae sunt ἀντήρεις καμπαῖσι δρόμων quasi inter se aemulentur equi funarii in cursu flectendo, quoniam in flexibus diversis modo hic modo ille funarius velocius currere debeat: qua in re eo opinor falsi sunt quod a quo proxime positum est dativo adiectivum ἀντήρεις neglexerunt non posse separari. Quae cum ita sint, ἀντήρεις καμπαῖσι δρόμων propterea mihi quidem dici videntur equi funarii quod ex adverso sunt flexuum. funariorum enim alteruter, prout ad dextram aut ad sinistram manum auriga currum dirigit, primus omnium equorum flecti debet, et ea quidem de causa quia proximus a viae anfractibus ideoque e regione est flexuum.

DE PARODI PARTE ALTERA.

(Vers. 231. — 302.).

adiungitur de priore parte sententia.

XI. — Abiudicarunt Euripidi hanc alteram parodi partem a primo Boeckhio Euripidi minori adscriptam [75]) Hermannus Hartungus G. Dindorfius Bartschius [76]) Vitzius [77]), quorum sententiae prae aliis licet Firnbabero et Schoenio [78]) refragantibus non potui non subscribere.

Quicunque enim hoc carmen Euripidis esse volunt eo loco qui est vers. 242 sqq. refutantur omnes. male enim id quod inde de rebus Argivis a Mycenaeorum civitate seiunctis statuisse videmus huius carminis auctorem abhorret a ratione tragicorum, qui Agamemnonem ubicunque sive in ipsam scenam producunt sive commemorando respiciunt ignoratis omnibus minoribus regibus Homericis regem faciunt utriusque civitatis. qua licentia ita utitur Aeschylus ut per totam Oresteam Mycenarum, unde Atridas originem traxisse tradit Homerus, ne mentione quidem facta regiam urbem Argos faciat, quos Diomedi aliisque tribuens Homerus solas Mycenas Agamemnoni subiectas esse vult. quod contra Sophocles, qua de re optime docemur Electrae et exordio et versu 1459., Agamemnonis in potestatem utraque data civitate accurate Mycenaeorum urbem seiungit ab Argis. Neque Euripides rationem revocavit Homeri, sed illi quoque Mycenaeorum et Argivorum constat unam fuisse civitatem eamque unius subiectam imperio, id quod accuratissime primum ex compluribus huius tragoediae apparebit locis, quos deinceps enumerabo singulos.

---

[75]) l. l. cap. XIX.
[76]) N. Jahrb. vol. XXXIII. a. 1841. pag. 24.
[77]) l. l. I. pag. 10.
[78]) Mus. Rhen. vol. V. a. 1847. pag. 80.—107. 228.—245.

vers. 1498 sqq. *ΙΦ.* *ἰὼ γᾶ μᾶτερ ὦ Πελασγία*
Μυκηναῖαί τ' ἐμαὶ θεράπναι.
ΧΟ. *καλεῖς πόλισμα Περσέως,*
Κυκλωπίων πόνον χερῶν;
ΙΦ. *ἔθρεψας Ἑλλάδι μέγα φῶς·*
θανοῦσα δ' οὐκ ἀναίνομαι.

v. 111. *ἀλλ' εἶα χώρει τάσδ' ἐπιστολὰς λαβὼν πρὸς Ἄργος.*

dicit haec Agamemno ad servom senem quem epistulam Clytaemnestrae perferre vult.

v. 328. *προσδοκῶν σὴν παῖδ' ἀπ' Ἄργους εἰ στράτευμ' ἀφίξεται.*

ita fratri respondet Menelaus ubinam deprehenso nuntio epistulam interceperit ab illo rogatus.

v. 515. *οὔκ, ἤν νιν εἰς Ἄργος γ' ἀποστείλῃς πάλιν.*

Argos remittere filiam Agamemnoni suadet Menelaus Iphigeniae servandae causa. quod si illa urbs non in Agamemnonis sed in Diomedis aut Euryali aut Stheneli potestate esset, in mediam perniciem potius rueret virgo quam servaretur. Sed vere Agamemnonis hanc urbem esse accuratissime ex eis colligitur qui secuntur locis aut ipsius Agamemnonis aut Clytaemnestrae verba continentibus. adfero autem genuinos omnes.

v. 533. *κἂν πρὸς Ἄργος ἐκφύγω.* (Ag.)

v. 731. *χώρει πρὸς Ἄργος παρθένους τε τημέλει.*
(Agamemnonis ad Clytaemnestram verba).

v. 870. *ἦλθες εἰς Ἄργος μεθ' ἡμῶν κἀμὸς ἦσθ' ἀεί ποτε.*
(Clytaemnestra ad senem).

v. 1356. *ΑΧ.* *ἣν ἐφήμισεν πατήρ μοι.* *ΚΛ.* *κἀργόθεν γ' ἐπέμψατο.*

v. 1453. *ἔσθ' ὅτι κατ' Ἄργος δρῶσά σοι χάριν φέρω;*
(Clytaemnestrae ad Iphigeniam morituram verba).

Quid igitur statuemus de hoc carmine, quo refragante cuncta tragoedia exiguis Mycenarum quasque eis Homerus subiunxit civitatum finibus Agamemnonem videmus coercitum? desistamus

autem nunc quidem dicere sententiam quamvis facilem ad ferendum et ceteras comparemus quae in fabulis Argivis versantur Euripidis tragoedias, ut quid omnino de Argis et Mycenis Euripides statuerit cognoscamus.

Secundo igitur loco eas inspici decet tragoedias quae in eisdem atque Iphigenia Aulidensis versantur fabulis, Electram Orestem Iphigeniam Tauricam, quae tragoediae aeque atque illa singulorum quibus Atridarum domus obruta est casuum acerbitatem nobis ante oculos ponunt. enumerabo igitur cuiusque tragoediae locos singulos. quos si examinabis et inter se comparabis, Argos perinde ac Mycenas intelleges ubique imperio subiectos putari Agamemnonis, usque autem adeo alteram cum altera confundi civitate ut nullo ne nominum quidem discrimine statuto modo ab Mycenis modo ab Argis regnum appelletur. Atque in Electra quidem *Ἄργος* occurrit decies (vers. 1. 6. 48. 138. 274. 601. 641. 1242. 1250. 1277.), Mycenarum semel fit mentio (v. 963.), sed ita quidem ut Agamemnonis, nunc quidem Aegisthi, Mycenis esse fingatur eadem arx quam v. 641. Argis esse audivimus, unde nescio an hanc facere liceat coniecturam, ut Argivorum et Mycenaeorum ne urbes quidem Euripidi distinctas fuisse putemus, in qua sententia et Elmsleius fuit (Heracl. v. 188.) et qui praeeunte Brodaeo ab Elmsleio citatus est Strabo (VIII. pag. 377.), ex grammaticorum more ille quidem quod in uno animadverterat Euripide in omnes tragicos transferens. *Ἀργεῖος* tredecies legitur (vers. 88. 173. 179. 380. 410. 517. 629. 700. 715. 755. 930. 988. 1313.), *Μυκηναῖος* septies (vers. 35. 170. 248. 674. 709. 761. 776.). deinde in Oreste *Ἄργος* undecies (vers. 46. 103. 714. 770. 875. 1296. 1464. 1530. 1601. 1621. 1660.), *Ἀργεῖος* undevicies (vers. 49. 98. 119. 445. 612. 722. 799. 846. 861. 884. 1027. 1037. 1247. 1289. 1355. 1369. 1508. 1534. 1610.), *Μυκηναῖος* ter (vers. 101. 1246. 1470.). denique in Iphigenia Taurica *Ἄργος* duodetricies reperitur (vers. 45. 155. 189. 221. 230. 234. 377. 394. 508. 515. 567. 583. 589. 604. 640. 668. 677. 700. 733. 752. 768. 775. 804. 830. 928. 1033. 1182. 1440.),

Μυκῆναι quater (vers. 150. 592. 846. 982.), Ἀργεῖος sexies (vers. 366. 630. 666. 704. 877. 1123.), Μυκηναῖος semel (v. 532.).

Reliquas denique quae ad fabulas Argivas pertinent si inspiciemus tragoedias plane eandem de Argis et Mycenis reperiemus sententiam. cf. Phoeniss. vers. 77. 78. 91. 96. 408. 562. 579. 613. 708. 732. 789. 794. 882. 949. 1080. 1086. 1099. 1137. 1188. 1191. 1221. 1233. 1238. 1364. 1394. et vers. 125. 186. 430. 513. 608. 861. 1082., inprimis vers. 77. et 430. vers. 608. et 613. vers. 1080 sqq. Suppl. vers. 127. 365. 368. 537. 737. 891. 931. 996. 1027. al. et v. 1131. apud Homerum (Il. 4, 376 sqq.) hoc loco monendum est Thebanae expeditioni ne interfuisse quidem eos qui tunc regnum tenuerunt Mycenaeorum. sequitur tragoedia Heraclidarum nomine inscripta. cf. vers. 98. 134. 139. 156. 185. 190. 191. 265. 268. 275. 283. 284. 286. 289. 339. 348. 355. 360. 363. 389. 500. 648. 654. 674. 765. 775. 804. 828. 834. 839. 842. 1008. et vers. 85. 88. 136. 176. 187. 261. 290. 336. 759. 806. 829. 932., inprimis vers. 134. et 136. coll. vers. 268. 355 sqq., vers. 85. 88. et vers. 139. vers. 155 sq. et 175. vers. 185 sqq. vers. 288 sqq. vers. 336. et 389. vers. 828. denique Hercul. F. cf. vers. 2. 15.—19. 1285. et vers. 388. 943. 962. 462.

Accuratissime nunc perspecta Euripidis Argos et Mycenas confundendi consuetudine huius carminis auctorem, qui satis inepte Homeri vestigia legens duas statuit civitates, cavebimus Euripidem dicere, nec minus suspicionem mittemus Euripidis minoris, qui tragicorum principibus fere aequalis ut non imperitus fuisse putandus est poeticae dictionis, quae prorsus deest huic quidem carmini, ita quin quam Euripides Aeschylo et Sophocle fere adsentientibus tenuerat consuetudinem, Atheniensibus illam quidem opinor plane cognitam, quam accuratissime observaverit non est dubitandum. quae cum ita sint, ab interpolatore suspicor hoc carmen compositum esse satis recenti, quae suspicio non potest non augeri eis quae in sequentibus obviam fiunt offensionibus.

Vers. 261 sqq. — Etsi in codice Palatino post versum 261. duas lineas vacuas esse tradidit Kirchhoffius, quin totus atque integer hic locus sit minime dubito, propterea quod qui respondent versus antistrophici, nisi quod v. 275. πρύμναις scribendum videtur, nullo modo illi quidem vitiosi aut suspecti, cum strophico loco accurate concinunt, id quod si lacunosam dicis stropham, fieri posse nemini persuadeas, nisi si et antistropham ab alio interpolatore post mutilatam stropham aut retractatam aut omnino compositam esse demonstraveris et lacunae indicia docueris quomodo in retractato carmine relicta sint. itaque non audiendus esse mihi videtur Weilius, qui nec probabilitatem nec verborum curans cohaerentiam tam in antistropha quam in stropha lacunae signum posuit, sed lenissimam Marklandi recipiens correctionem et τε pro δέ, ταῖσδ' pro τοῖσδ' substituens hanc genuinam esse puto loci speciem,

Φωκίδος δ' ἀπὸ χθονὸς
Λοκράς τε ταῖσδ' ἴσας ἄγων
ἦν ναῦς κτλ.

Quae igitur mira ac reprehensione digna videntur de iure opinor putantur ab interpolatore profecta esse. merito autem miramur quod nulla ille coactus necessitate singulorum orationis membrorum parum respecta concinnitate, cum ceterarum classium accurate praeter ducum nomina navium numeros tradiderit, harum gentium mentionem fecisse satis habuit, sed magis videtur reprehensione dignus esse propterea quod neglecta historia ne ea quidem moratus est quae de Phocensium et Locrensium civitatibus minime coniunctis tradidit idem Homerus cuius vestigia tam anxie pressit ceteris in rebus.

Vers. 268 sqq. — Merito homines docti offenderunt in Adrasti nomine, quod qua non facile caretur Menelai mentione loco suo movere non dubitantes plerique σὺν δ' ἀδελφὸς ἦν scripserunt ex Marklandi coniectura. sed quis quaeso est quin Menelaum nulla neque patriae neque navium mentione facta tanquam legatum fratri adiunctum esse moleste ferat? quis est quin adsentiatur Matthiaeo Menelaum neganti eo consilio ut Graecia

Helenam recuperet expeditioni interesse dici potuisse? quam offensionem qui nuper eo quod v. 272. *῾Ελένας* pro *῾Ελλάς* substitui iussit tollere conatus est, Vitzius[79]), neque cetera sustulit vitia neque numeris vim inferri reputavit. qui enim trochaici loco ab illo ingestus est pes spondaicus, si quidem solus hic, quod hoc quidem carmen attinet, vice fungitur pedis trochaici[80]), mi-

---

79) l. l. II. pag. 6.

80) Neque enim vox *᾿Αχιλλείου*, quae in versu strophico 241. eundem locum quem in versu antistrophico dipodia iambica obtinet, ego quidem dubito quin et ipsa iambicos pedes duos contineat purissimos. ut enim in talibus vocibus quales sunt *παλαιός δείλαιος εὐκταῖος* (Sept. 704. *πατρὸς εὐκταίαν ᾿Ερινύν*, ◡ ◡ – ◡ – ◡ – –) *πατρῷος* tum, ut videtur, cum quae sequitur syllaba producta est, aut in *ποιεῖν* et *τοιοῦτος* apud Aristophanem, litteras diphthongos *αι ῳ οι* passim corripi videmus: ita quid impedimento fuisse putemus quominus in tractanda syllaba *ει* poetae illa licentia uterentur? immo, ut taceam de vocibus *βρότειος τέλειος* aliisque quaeque opinor huc pertinent nominibus propriis *᾿Αλφειός Αὐγείας*, quae voces, quarum *ει* vice fungitur vocalis *ε* productae, non diphthongi, apud Jones et, ubi eis brevi syllaba opus est, apud poetas simplici littera *ε* utuntur: minime desunt exempla litterae *ει* in eis vocibus correptae in quibus *ει* quin vere diphthongus sit dubitari non potest. huc pertinent voces *αὐθάδεια εὐγένεια εὐσέβεια δυσσέβεια ἱέρεια προμήθεια*, ex quibus quam primo loco posui propter numeros ceteroquin omni metricae compositioni repugnantes tragici (cf. Thesm. 704. Antiphanis fr. XIII. 4. com. III. pag. 139.) ubique, *εὐγένεια* Euripides H. F. 696. fr. 9., *εὐσέβεια* Sophocles Ant. 943. O. C. 189. Euripides Hipp. 1368. Pindarus Ol. VIII. 8., *δυσσέβεια* Aeschylus Eum. 525., *ἱέρεια* Sophocles fr. 44. Euripides I. T. 34. 1399. Or. 261. Pindarus Pyth. IV. 5. correpta habent paenultima. eandem corripiendi rationem num in voce *προμήθεια* tragici semper secuti sint vix dubium videtur, si quidem neque ullus invenitur locus ubi longa paenultima necessario opus sit et loci illi sex qui dubii videri possint vocabuli dimidiam partem posteriorem in quinto pede senarii habent omnes. ubicunque autem locum habet ista correptio quae sequitur ultima, id quod bene est notandum, aut positione aut revocata pristina eius syllabae natura (cf. Antig. 1028. Antiph. l. c. Soph. fr. 865. Alc. 1054.) producitur, ita ut, si quod nimis latis finibus legem suam circumscribit indulges grammatico, recte fortasse scholiasta ad Or. vers. 261. *τὰ γὰρ διὰ τοῦ -εια προπαροξύτονα* inquiat *ἰωνικῶς οἱ ποιηταὶ παροξύτονα ποιοῦντες διὰ τοῦ — ια γράφουσι, τὸ αὐθάδεια αὐθαδία λέγοντες κτλ.*, merito autem Choeroboscus (Cram. Anecd. Ox. vol. II. pag. 182, 14.) ultimam vocabuli *αὐθαδία* dicat longam esse. haec

sere pugnat cum metro ceteroquin purissimo numerisque facillimis, id quod opinor satis est causae unde emendationem illam respuamus. Vides igitur frustra laborari si quis probare conatur quam Marklandus adhibuit correctionem et nescio an vitiosiorem reddiderint quem emendare moliebantur locum qui in Adrasti locum Menelaum substituerunt. quare non licet opinor illum removere, sed oblitus potius Menelai interpolator, quippe quem neglegentissimum fuisse vidimus, ducem illum fere primarium neglexisse putandus est. nimirum cum Homeri fontes inspexit, unde exiguos suos rivulos derivaret, proximum ab Agamemnonis nomine invenit Adrasti, quem alia non curans neque mortuum ab inferis se suscitare considerans agiliter Patroclum fecit Agamemnonis. nulla autem mora facta protinus volat vultibus et Menelao quidem praetervolato haec legit verba,

μάλιστα δὲ ἵετο θυμῷ
τίσασθαι ῾Ελένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε.

quibus verbis adeo excitatur animo ut versus fundat quibus nunquam fecit meliores,

τᾶς φυγούσας μέλαθρα
βαρβάρων χάριν γάμων
πρᾶξιν ῾Ελλὰς ἅς λάβοι.

inde Homerum secutus est ad Nestorem.

---

autem ego quidem censeo non ita accipienda esse ut voces *αὐθαδία προμηθία ἱερία* quod suffixa attinet putemus eidem ordini adnumerandas esse cui *σοφία κακία εὐδαιμονία*, sed illud *-ία* mihi quidem nihil aliud est quam revocatum illud pristinum *-εία* (cf. *ὑγιεία* ◡ ◡ – – et *πλουθυγιεία* – ◡ ◡ – – Av. 604. 731. *εὐκλείαν* Sept. 666. *ἱερεία* Bacch. 1114. vid. Ellendt. lex. Soph. v. *ἀλήθεια*) quod priorem syllabam corripuit, sicut simili ratione suum *αι* vel *ῳ* vel *οι* corripuerunt alia suffixa. correptum autem illud *ει* quod in *ι* mutabatur vel *ε* (Soph. fr. 414. Pind. Pyth. IV. 5.) ei qui sonos respiciet non magis mirum videbitur quam quod Agam. 968. codices *ὑγιείας* tenuerunt, quamvis correpta est eius vocabuli paenultima. Ut paucis igitur comprehendam quid mihi velim, syllabae paenultimae diphthongum *ει* in eis vocibus quae in *-ειος* vel *-εια* terminantur poetis corripere licebat ubi producebatur ultima. hoc autem si recte statui, de iure mihi videtur vox *᾿Αχιλλείου* continere dipodiam iambicam.

Quae secuntur tam misere corrupta sunt perturbato verborum ordine omnibusque solutis numeris ut, quoniam non nusquam ne sententia quidem quae sit diiudicari potest, de auctore iudicium ferri non possit hac quidem ex parte, quod parvi refert.

Quattuor igitur attuli certissima interpolationis indicia, Argos invito Euripide a Mycenis distinctos, Phocensium et Locrensium civitates refragante Homero in unum coniunctas, singulas classes minus aequaliter enumeratas, denique Menelai Lacedaemonisque mentionem prorsus neglectam ideoque tam ducum quam civitatum delectum reprehensione dignissimum. quae argumenta qui accurate perpenderit interpolatoris, id quod supra demonstravi, aetatem cognoscet minime eam fuisse de qua Boeckhius[81]) G. Dindorfius[82]) Vitzius[83]) cogitarunt, rectissime vero iudicasse Hermannum[84]) intelleget, qui strophas istas addidamentum habuit hominis multo Euripide recentioris neque illius Euripidis minoris qui maiorem Euripidem vel patrem vel patruum habuit. *nam*, inquit vir egregius, *ille quo tempore vivebat, non tulissent Athenienses chorum, qui tam miseros tamque inscite factos versus effunderet.* non ferendum autem fuisse illum chorum argumentis docuit non accuratius expositis, ieiunam dicens relationem numeri navium quique eis praefuere ducum, decerptam fere ex Homero, omni carentem vigore poetico, verbis expressam frigidissimis, genere dicendi scriptam vix in oratione prosa ferendo, denique non vacuam indiciis ignorati Atticismi. *nam, ne alia afferam*, inquit, *quis vel prosae orationis scriptor articulo utitur in his v.* 229. (233.) *τὰν γυναικεῖον ὄψιν ὀμμάτων ὡς πλήσαιμι, et v.* 249. (253.) *τῶν Βοιωτῶν δ' ὅπλισμα, quamquam hoc quidem in dubitationem vocari potest*[85]); *aut quis Atticus dicat, quod v.* 263. (267.) *legitur, ἠθροϊσμένους, non illud comparandum cum ἠϊθέων, quod Marklandus restituit v.* 171. (173.). quibus si nostra addimus, licet opinor sperare aliquanto confirmatum iri Hermanni sententiam[86]).

[81]) l. l. cap. XIX.

[82]) l. l. pag. 441., ubi a minore Euripide hoc carmen profectum esse voluit. nuper mutavit sententiam, Poet. sc. ed. V. Eur. pag. 264.

[83]) l. l. I. pag. 10. ll. pag. 11. diserte Euripidem min. dicit.

[84]) edit. praef. pag. XV.

[85]) Aperte hoc *τῶν*, quoniam in solo codice Florentino scriptum est, addidamentum correctoris est strophicum versum antistrophico exaequantis, cui lectoris alicuius ignorantia vocem *ἐκ* praefixit.

XII. — Alterum vero illud nunquam a me impetrabo, ut eis subscribam quae de priore parodi parte (vers. 164. — 230.) sive Hermannus[87]) sive G. Dindorfius statuerunt hic quoque notare conati vestigia interpolatoris. et ut statim meam sententiam addam, etsi quibus careri possit insunt multa, tamen prorsus desunt quae interpolatoris suspicionem ullo modo comprobent, adsunt quae Euripide, qualem in choricis carminibus componendis fere ubique se praebuit, valde sint digna. itaque factum est ut solum hoc viris doctissimis concedam, interpolatorem hanc quoque carminis partem de suo amplificasse cogitari quidem posse, neque tamen maiori cum iure hoc quam alium quemcunque cuiuslibet fabulae locum talis hominis audaciam expertum esse statui, quibus conatibus quamvis ingeniosis abstinere debet quicunque partes agit iusti critici.

G. Dindorfius igitur quattuordecim tantum versus (vers. 164. — 170. vers. 185. — 191.) poesin dictionemque Euripideam referre arbitratus reliquos interpolatori tribuit omnes. Hermannus praeter hos Dindorfii versus plura ut ab ipso Euripide scripta retinens, quae ab interpolatore in perversum ordinem redacta addidamentisque ornata essent, magna usus est sagacitate ut quae ipse sibi persuaserat probaret aliis. argumenta vero neuter adferre potuit. nam quae protulisse sibi visi sunt eadem miro profecto consensu, ea magnopere vereor ne fefellerint utrumque. Primum enim alter vers. 171. — 184. ea anticipari quae vers. 189. — 191. dicta sunt, alter utroque loco talia dici putarunt qualia, quoniam inter se cohaererent, inepte separarentur

[86]) Adnuit Hermanno Hartungus ad vers. 222 sqq., sed id quod novum de suo attulisse sibi visus est nihil est.

[87]) De interpoll. I. in Aul. I. pag. 6 sqq.

ingestis aliis rebus, quam quisque videt fere eandem sententiam esse. attamen duo sine dubio illis locis praedicantur inter se diversa neque iniuria factum est ut alia intercesserint nec eicienda illa quidem nec in alium locum transponenda. nam priore loco apparet qui in castris navalibus sint milites classicos, vers. 189 sqq. castra in Dianae nemore posita dici, ubi duces potissimum et equos fuisse consentaneum est. quare hi quidem loci bene inter se conveniunt, *sed cum priore loco pugnat parodi pars altera.*

Alterum argumentum viri docti hoc esse voluerunt, quod Euripides ex virginibus chorum composuerit, interpolator inepte mentionem ingesserit coniugum v. 176. quae hanc sententiam probarent testimonia attulit Hermannus, eadem qui Dindorfio in tota hac quaestione adsensus est, Vitzius[88]), cui Hermanni libellum prorsus ignotum fuisse conicio. sed quae vers. 187 sq. de se praedicant mulieres, quomodo ea non possint in nuptas feminas cadere non video, optime autem eas νεάνιδας appellari certo scio. cf. Hel. 1288. Trach. 307 sq. τίς ποτ᾽ εἶ νεανίδων; ἄνανδρος ἢ τεκοῦσα; coll. Hipp. 141. Or. 1438. Med. 623. Hor. carm. III. 22. 2.

Quae praeterea Hermannus notat sibi suspecta, librorum ἡμιθέων v. 173., τὸν ξανθὸν Μενέλαον, Ἀγαμέμνονά τ᾽ εὐπατρίδαν vers. 175. 177. ut inertissimis languentia epithetis, in Euripideo quidem choro nullius sunt momenti ad interpolatoris vestigia convincenda.

VERS. 338.

XIII. — Hic versus, qui quam praebet orationem viri docti videntur merito mirati esse, ego quidem nescio an spurius esse inde convincatur quod in eandem in quam qui secuntur versus 339 sq. syllabam terminatur. illi enim in descriptione versati eiusdem miserrimae ambitionis, cum eadem autem pronuntiati malignitate cur finales syllabas habeant consonantes non est quod pluribus exponam, quod contra hunc versum in eandem

[88]) l. l. I. pag. 9. II. pag. 11.

syllabam terminari cum versibus, si argumentum specto, ei alienissimis ego quidem molestissime fero. accedit autem id praeter eam quam initio indicavi offensionem quod quibus hoc versu decoratur facillime caret morum descriptio. quae cum ita sint versum 338 vix dubito ei tribuere interpolatori quem cum per totam fere fabulam tum in hac ipsa parte saepius deprehendimus de suo addentem, qua ratione valde discrepat cum eo qui praeter alia multa ex ipsa fabula extracta inculcavit versum 342.

VERS. 350.—355.

XIV. — Miror hodie quoque a quibusdam in conformatione offendi huius loci, qui tametsi potuit paullo concinnius ita constitui ut accuratius leges observarentur artis logicae, tamen non satis est causae unde sive ex parte removeantur quae tradita sunt sive commutatis sedibus transponantur: quam in sententiam nunc etiam G. Dindorfium discessisse magnopere gaudeo. Ceterum versus 352 sq. apparet versui 351. accuratius definiendo ita adiunctos esse quasi hoc dicatur, ἐπεὶ τῆς οὐρίας πομπῆς ἐσπάνιζες, διὰ τοῦτο οἱ Δαναΐδαι τὰς μὲν ναῦς ἀφιέναι — διήγγελλον, in versu autem 354., quoniam Δ ante Λ saepissime excidit, non dubito quin ὡς δ᾽ ἄνολβον scribendum sit cum codice Florentino.

VERS. 363.—365.

XV. — De his versibus, varie illis quidem temptatis, ut primum, qui et prorsus necessarius est neque unde merito in suspicionem vocari possit ego quidem intellego, tanquam manifesto spurium a Nauckio eiectum esse miror, ita secundum quibus primis in mentem venit secludere, Hartungo et G. Dindorfio[89]), non magis adsentior quam qualicunque sententiae subscribo eorum qui sive interpretando sive corrigendo

[89]) Secuti sunt Hermannus (De interpoll. I. in A. I. p. 10.) et Nauckius.

illum genuinum esse demonstrabant. Sed ut mittam illa, quae quam sint perversa facile quisque intelleget, hunc versum ipsum argumentum docet non posse aliter nisi ironice dici ita ut Menelaus fratrem quid ille sentire sibi videatur ostendens neque antea in hac sententia fuisse et perverse iudicare indicet. *neque enim*, inquit, *amplius filiae tuae interfector esse vis.* nimirum haec dicere vult: *ne Iphigeniam sacrifices propterea opinor recusas quod non vis tuae filiae interfector esse, quae sententia nec vides quam perversa sit nec antea quam aliena tibi fuerit videris tecum reputare* („nisi forte te ipsum filiae interfectorem esse, si quidem antea comprobasti filiae immolationem, antea nihil tua interfuisse putandum est). qua in interpretatione ne dicas nimiam me appetisse subtilitatem, alterum ipsa ironia docet, alterum vehementer efflagitat particula *ἔτι*. Quae cum ita sint, in versu 364. puto acquiesci posse. neque offendendum est in adverbio *μάλιστά γε*, quod adfirmandi causa in ironia apparet aptissime additum esse, sed, quoniam tota enuntiatio per negationem dicta est, non dubito quin *μάλιστά γ' οὔ*, non *μάλιστά γε* per positionem scripserit Euripides,

ὡς φονεὺς οὐκέτι θυγατρὸς σῆς ἔσει, μάλιστά γ' οὔ.

nam non amplius (nunc quidem) interfector eris tuae filiae, immo minime.

Non ita autem ut intellegi eum decebat iam ipso tempore antiquo hunc versum intellectum esse luculentissime docemur eo versu qui in libris illum excipit. hunc qui ad vers. 360 sqq. referunt cum M e h l h o r n i o et K l o t z i o tripliciter opinor sunt falsi. neque enim illi quae insunt versui 365., ea brevius dicta esse secum reputarunt quam quae ab eis ad quae referenda sint longe remota ita ut decet intellegantur, et pronomen *τάδε* neglexerunt non posse non ad ea pertinere quae proxime sint proposita, quod autem gravissimum est, parum illud respexerunt, non posse ad alia nisi ad dicta referri versum 365., sed de litteris agi versibus 360 sqq. itaque dubitari non potest quin qui proxime antecedit respiciatur ipse versus 364., quem cum inde cognoscamus ipsius Agamemnonis verba a Menelao nunc repe-

tita continere putatum esse, versum 365. intellegimus ab ipso Euripide non esse profectum, quare ego quidem non dubito de eodem cogitare interpolatore cuius artem breviter definivi ad v. 338.

VERS. 366.—369. V. 374.

XVI. — Menelaus postquam levitatem atque infirmitatem quam in pollicenda et recusanda immolatione prae se tulit Agamemno satis accurate exposuit acerbe fratrem hac quidem in re nihil ab aliis hominibus differre dicens *μυρίοι δέ τοι*, inquit, *πεπόνθασ' αὐτὸ πρὸς τὰ πράγματα.* haec igitur verba quoniam nullo modo ambigitur quomodo accipienda sint, praesertim cum *αὐτό* pronomen ad nullam aliam spectare possit rem quam ad eam quae proxime antecedit, quae statim adduntur v. 367. dubitari non potest quin in Agamemnonem de eis sint dicta qui ubi res sunt gerendae (*πρὸς τὰ πράγματα*) perinde atque Agamemno improbe ac satis malitiose res omittunt nec solvunt ea quae pro certissimis sunt polliciti. cum his autem quomodo congruunt ea quae adferuntur versibus 368 sq., quibus qui describuntur homines ab republica remoti neque improbe negotia reliquerunt neque omnino ulla ex parte similes sunt Agamemnonis? an coactus ille a civibus imprudentibus aut sponte propter virium debilitatem res omisit? at neque cives Iphigeniam immolari vetuerunt neque in alius nisi in patris potestate versatur filia. verum id ut proferamus in quo cardo est rerum: qui minime imperio se abdicavit Agamemno quo modo eis adnumerari potest qui remoti sunt a republica? videsne igitur interpolatorem? qui haec quomodo cum altera orationis parte cohaereant parum curans ea quae sunt *ἐξεχώρησαν κακῶς* non dubitavit ita accipere quasi de abdicando magistratu dicta sint: quare, sicuti statim, ne ubi ansam loquendi Agamemno dedit imperator mentio deesset imperatoris, inculcavit versum 374 misere tenorem orationis interrumpentem, ita hoc loco non abstinuit quominus doctissime adderet haec, de iure alteros, alteros iniuria removeri solere.

Secludendos esse versus 368 sq. qui primus vidit, Hartungus, valde miror quod in re tam aperta praeter Vitzium[90]. adstipulatorem nactus est nullum, sed multo magis est mirum quod Hermannus[91]) eiecto versu 368. retinuit versum 369., qui et fere eodem quo alter nomine suspectus est et vocabulo *αὐτοί* apertissime ad ea spectat quae sunt *ὑπὸ γνώμης πολιτῶν*. Deinde recte damnasse mihi videor versum 374., perverse autem iudicasse Hartungum et Vitzium, qui versum 375. interpolatoris esse voluerunt, non est quod dicam.

VERS. 392.

XVII. — *Ἡ δέ γ' ἐλπίς, οἶμαι μὲν, θεός.* — Iniuria in hoc articuli usu offendens Matthiaeus proposuit *ἦγε δ' ἐλπίς,* quae verba, quippe in quam coniecturam ipse incidisset, quam servavit Seyffert[92]), merito tamen quam habuerat ille corrigendi causam reprehendit adlatis praeter necessitatem exemplis. moverunt igitur Seyffertum particulae ab huius loci ratione abhorrentes. mihi quidem *γέ* particula suspecta est, sed Seyfferti rationem minime commendaverim. nam vocabulum *θεός*, utcunque id accipiemus, sive statuta appositione arte coniungemus cum voce *ἐλπίς* sive ad ea referemus quae sunt *οἶμαι μέν*, semper erit offensioni: oratio enim contorta videbitur et frigide quasi exaggerata. multo aptius videatur accipere id quod tradunt codices recepta pulchra illa, ad quam sanum quemque animum fert natura, Hermanni interpretatione, *spes, opinor quidem, dea est, effecitque illud magis, quam tu roburque tuum.* sed hoc *γέ* molestissimum esse quis infitietur? scripserim igitur *ἡ γὰρ ἐλπίς*, quam particulam ipsa res mihi videtur postulare, cum his verbis appareat hoc exponi, quo tandem modo fieri potuerit ut darent iusiurandum proci, id quod vocabulo *φιλόγαμοι* non satis accurate demonstratum est. ortum autem est quod in

---

90) l. l. II. pag. 12.

91) De interpp. l. in Aul. I. pag 10.

92) l. l. pag. 26.

nostrorum codicum archetypo fuit vitium eo quod *γάρ* compendio scriptum ab eo qui descripsit legebatur *γέ*, unde fiebat *ἥ γ' ἐλπίς*, quod, cum deesset una syllaba, supplebatur inserta particula *δέ*. Ceterum quod verbum deest *ἐστί* altero verbo adiuncto nemini offensioni esse puto. tamen videas versum 4., H. F. 628. *οὐ γὰρ πτερωτὸς οὐδὲ φευξείω φίλους,*
ubi *εἰμί* addendum est,
Prom. 375. *σὺ δ' οὐκ ἄπειρος οὐδ' ἐμοῦ διδασκάλου χρῄζεις,*
ubi deest *εἶ*,
Pers. 503. *ὅσοι δὲ λοιποὶ κἄτυχον σωτηρίας,*
ubi *εἰσί* est subaudiendum.

VERS. 413.—441.

XVIII. — Vers. 420.—423. — Digna quae commemoretur mihi videtur Musgravii coniectura v. 423., *καθίεμεν τάσδ'*, quam cur fecerit ille se intellegere negavit Matthiaeus. forsitan veram causam detexerim. recte enim Musgravius mulieres regias opinor miratus est, quamvis prope ad castra accessum sit, in prato stratas cibum sumere, quasi in ipsis castris explendae famis non plus foret copiae. hoc igitur multo aptius de equis dici secum reputans Musgravius *τάσδ* coniecit scribendum esse, quae vox ne numeros turbaret, *καθίεμεν* reponendum erat neque tamen minus in eo offendendum est quod eaedem mulieres longo facto itinere defatigatae pedibus curationem adhibere dicuntur, quasi pedibus iter fecissent. Duo igitur, si accuratius hos versus inspexerimus, poetam statuisse credendum erit inter se pugnantia, et curru vectas esse mulieres et pedibus iter fecisse. sed Euripidem equidem puto his versibus equorum tantum rationem habuisse, mulierum mentionem ab eo immixtam esse interpolatore cuius passim in hac scena cognoscimus vestigia. quae sententia confirmari mihi videtur mira illa mulierum et equorum artissima coniunctione in eis quae sunt *αὐταί τε πῶλοί τ'* — etsi per se si consideramus haec verba, optime ea

simillimis locis (v. 886. Tro. 868.) firmata videmus — maxime autem eo versu in quo offendit Musgravius. ceterum ex ipsa huius interpolationis natura consequi necesse est ut minus facile quam aliis in locis neque quaquam ita ut dubitationes prorsus tollantur genuina verba poetae execari possint, quae partim eiecta cesserint interpolatoris commentis partim aliter nunc quidem relata, aliter coniuncta sint. solum hoc constat, releganda esse quaecunque ad mulieres pertinent et equorum recreandorum causa istam moram fieri statuendum esse. primum igitur reponemus *χηλόπουν βάσιν*, deinde v. 422. scribemus *ἵπποι τε πῶλοί τ'*, denique tertio in versu *ἀφεῖμεν αὐτάς* lenissimis usi mutationibus. *χηλόπουν βάσιν* autem quin pro *θηλύπουν βάσιν* ultro acceperit aliquis equorum mentione non sperata vix dubito, error autem mutationes de industria factas secum traxerit. Sunt fortasse quibus hanc rationem probaverim. qui mihi non plaudunt, ei opinor versus 420.—423. resecent necesse est totos utpote ab homine aliquo insertos cui causam adferri videretur opus esse cur non una cum nuntio mulieres in scenam prodirent.

Hoc etiamsi vel inviti concedemus, tamen minime adsentiemur eis (Nauck. Kirchhoff.) qui L. Dindorfium secuti sunt vers. 413.—441. ut ab interpolatore profectos eicientem. quod G. Dindorfius cumulasse mihi videtur interpolatorem istum multis saeculis inferiorem dicens illo qui parodum addidamentis amplificaverit, quanquam huius sententiae neque e linguae condicione neque e dicendi ratione adferri possunt argumenta. neque enim huc referre licebat aut *ὠνόμαξας* v. 416. et *ὥστε τερφθείης* v. 418. aut, in quo L. Dindorfius magnopere mirandus est, *ἀλλ', ὡς μακρὰν ἔτεινον, εὔρυτον πάρα κτλ.* v. 420. quorum prioribus, utpote manifesto librariorum neglegentia aliave fortunae iniquitate corruptis, L. Dindorfius, ut optime versibus 425 sq. consuluit, ita his quoque emendatoris medelas adhibere, in tertio omnino non debebat offendere. atque hoc quidem qui totum hunc de quo disputatur locum identidem praeclarissime defendit optime refutavit, Hermannus, deinde

ὠνόμαξας primus Marklandus tempore mutavit quod talibus in locis adhiberi solet, imperfecto. illud autem vitium quod inest verbis *ὥστε τερφθείης* sunt qui nullum esse dicant, Hartungus Firnhaberus Klotzius, quibus minime adsentior, Hermannus *ὥς τι τερφθείης* scripsit, Weilius satis mediocriter *ᾧ γε τερφθείης*. ego inde hoc mendum ortum esse arbitror quod calami lapsu olim librarius ubi *ὥστ' ἂν ἡσθείης* debebat scripserit *ὥστ' ἂν τερφθείης*, quod metro repugnare videns corrector metricus in *ὥστε τερφθείης* mutaverit. Quae autem in vers. 424.—426. interpolationis testimonia inesse putavit L. Dindorfius, ea me non intellexisse aperte fateor. nam hoc dicit nuntius: *praecurri, ut praepares ea quibus rite excipiatur virgo nuptura* (cf. Herm. ad v. 426. suae edit.): *namque tempus nunc est, si quidem totus exercitus adventum habet cognitum.* sic haec ferri possunt opinor omnia, neque quicquam momenti habet quod addidit L. Dindorfius, inepte totum exercitum feminas advenisse scire, ignarum esse Agamemnonem. aut enim istum totum exercitum nuntio largiemur quae narrat in maius tollere amanti aut, id quod verissimum puto, Agamemnonem reputamus eis quae inde a solis ortu usque ad hoc tempus deinceps facta sunt gravissima magis occupatum fuisse quam ut milites quid agerent curasset.

Refutatis igitur his quidem L. Dindorfii criminationibus hanc scenam, quam necessario adesse nulloque modo deesse posse facile quisque intellegat, valde genuinam habebimus cum Hermanno, in universum si spectabimus. tamen nonnulla relicta sunt quae suspicionem moveant.

Ac primum quidem v. 413. et qui eum sequitur additi videntur repugnantibus stichomythiae legibus. deinde hoc reputandum est, nullas esse rationes, nullos amicos quibus Menelaus uti possit, immo non posse eum quicquam in causa sua proficere nisi immolata Iphigenia. obstare enim scimus oraculum quod edidit Diana. neque ignorat haec Menelaus, id quod colligitur tam ex vers. 485 sq. quam ex v. 495. ergo vers. 413 sq. ferri non possunt. Egregie autem a poeta hunc locum com-

paratum esse facile concedes, si reputaveris prorsus desperantis esse nec quicquam habentis quod amplius dicat breve hoc σκή- πτρῳ νυν αὔχει σὸν κασίγνητον προδούς, et iusto tempore advenire nuntium, unde omnia aliter cessura esse cognoscamus. contra interpolator Menelaum desistere moleste tulit, sive ex solo istorum hominum amplificandi furore hos versus ortos esse malis. sed cum praeter machinationes et amicos nihil haberet quo Menelaum confugientem faceret, dimidii versus defectum supervacanea ista ὦ Πανελλήνων ἄναξ compellatione explevit, unde factum est ut persona recens in scenam prodiens in medio versu orationem incipiat. quod praeter tragicorum morem esse concessit etiam Hermannus.

Qui mos tragicorum non minus neglectus est eo quod nuntius, ut ait L. Dindorfius, rebus suis expositis e scena abigitur, non sponte abit. sed hoc ut admittamus, vix tamen ferendum puto quod animum prorsus desperantem Agamemno tantum non aperte ante oculos ponit servo. praeterea autem gravem suam orationem Agamemnonem multo aptius a gravi illo versu 442. incipere quam miseros istos versus praemittere reputanti mihi suspicio orta est ne vers. 440 sq. merito spurii putentur. qui autem eos addiderit nuntium timuerit ne in scena remanens audiret quae arcana essent, quare e scena eum abigendum curaverit.

Aperto denique vitio laborare versum 436. vix est quod moneam, quem versum solum reprehensione dignum esse ait Hermannus, quod idem intellexit Hartungus, non debebant negare Firnhaberus Klotzius Weilius. nullo enim modo ferendum existimo illud στεφανοῦσθε tam ad Menelaum quam ad Agamemnonem relatum quod imperativus εὐτρέπιζε excipit ad solum Agamemnonem referendus. qui vero veteres editiones secuti post κρᾶτα plenius interpungentes cum illo εὐτρέπιζε coniungunt ea quae sunt καὶ σύ κτλ., inepte Menelaum quasi paranymphi munere fungi statuentes, dupliciter ei peccant. paranymphum enim primum ea faciunt exequentem quae patris quin fuerint non potest dubitari, deinde autem semper eum a sponso

ex amicissimis electum fuisse neglegunt. quibus hoc addas, quod et nimia esset servi libertas, si quibus opus est singula cuique tanquam distribueret negotia, et ipsius quoque poetae molesta esset hoc quidem loco subtilitas. Mutato igitur opus est. et Hartungi καὶ σὺ καὶ Μενέλεως ἄναξ in meum usum convertens Euripidem conicio sic scripsisse,

στεφανοῦ τὸ κρᾶτα, καὶ σὺ καὶ Μενέλεως ἄναξ,
ὑμέναιον εὐτρέπιζε κτλ.

Aliter censuit Hermannus a. 1847.[93]) cum sic hunc locum constituit:

Ἀρτέμιδι προτελίζουσι τὴν νεάνιδα,
Αὐλίδος ἀνάσσῃ. τίς νιν ἄξεταί ποτε;
στεφανοῦσθε φύλλοις κρᾶτα, καὶ κατὰ στέγας
λωτὸς βοάσθω καὶ ποδῶν ἔστω κτύπος·
φῶς γὰρ τόδ' ἥκει μακάριον τῇ παρθένῳ.

nimirum hoc ferre noluit vir egregius, quod servus, quoniam quidam ad nubendum arcessitam esse Iphigeniam conicerent, quasi in re certa sollemnia nuptialia instituere Agamemnonem et Menelaum iuberet. at servus ille opinor, cum quae filiam suam maneret secunda fortuna celandi Clytaemnestra non haberet causam, nuptias cognitas habere merito putandus est: quare vix dubito quin iniuria Hermannus hunc locum mutaverit.

Omnino nihil opinor relinquitur suspecti, et librariorum vitiis interpolatorisque satis proterve grassati addidamentis purgatam scenam facile praecipuo huic fabulae ornamento esse putabimus cum Hartungo, etiamsi versum 416. eicienti ei non oboediemus, sed verba ἐν δόμοις, in quibus nuper quoque offensum est, non magis supervacanea esse monebimus quam quae Med. 1098. leguntur ἐν οἴκοις.

V. 464.

XIX. — Hunc versum quotiescunque consideravi nondum mihi persuasi ab Euripide scriptum esse. primum enim, etiamsi

[93]) De interpoll. I. in Aul. I. pag. 12.

illius aetatis hominibus eorumque moribus multum condonamus, tamen ab Iphigeniae moribus quales ab Euripide finguntur nimis alienum videtur tale votum in patrem nuncupatum. deinde tale quid neque cum significatione verbi ἱκετεύειν congruit, quandoquidem execrari eum qui imploratur minime supplicis est, neque ea quae priora dicit Iphigenia, ὦ πάτερ, ἀποκτενεῖς με; cum lenem ac patientem prodant animum, non pugnant cum minis quae secuntur ferocissimi hominis ac plane desperantis. quae autem gravissima sunt, nescio utrum hoc minus ferendum sit, quod adstante uxore viro optatur, non ut malum matrimonium nactus sit sed ut malum matrimonium nanciscatur, an hoc, quod in caput eorum qui Agamemnoni amicissimi sint eaedem coniciuntur execrationes, unde ipsam matrem et fratrem et sorores et se ipsam Iphigenia devovet. haec cum mecum reputarem, non potui quae mihi orta est reicere suspicionem, intercidisse ea quae scripsit Euripides, de suo lacunamexplevisse alienum recentioris aetatis hominem. et quamvis longe absim a perversa opinione eorum qui Iphigeniam Aulidensem ex Iphigenia Taurica et iudicandam et restituendam existimant, tamen nostrum locum bene inlustrari puto his alterius fabulae versibus, ex numero eorum quibus Iphigenia illud sacrificium suum in memoriam sibi revocat, vers. 362 sqq.,

ὅσας γενείου χεῖρας ἐξηκόντισα
γονάτων τε τοῦ τεκόντος ἐξαρτωμένη,
λέγουσα τοιάδ᾽· ὦ πάτερ, νυμφεύομαι
νυμφεύματ᾽ αἰσχρὰ πρὸς σέθεν,

neque dubito quin simile quid poeta nostro quoque loco scripserit, velut

τοιούτους γάμους
μὴ παῖς σέθεν γήμαιτο, μὴ τλαίης τόδε.

V. 466.

XX. — Non adsentior Weilio, qui Musgravii repetiit coniecturam εὐσύνετ᾽ ἀσυνέτως. nam ferri potest quod libri praebent, οὐ συνετὰ συνετῶς, quia haec verba in unam quasi

coaluerunt notionem, ita ut γάρ particula non tam ad vocem συνετῶς, quae proxime antecessit, referatur quam ea quae sunt ἔτι γάρ ἐστι νήπιος statuendum sit causam adferre cur non συνετὰ συνετῶς sed ἄσυνετα συνετῶς exclamet Orestes.

Apparet igitur G. Dindorfium immerito totum hunc versum eiecisse mihi quidem videri. sed valde admiror virum doctum quod postea totum qui versibus 465.—468. continetur locum seclusit. argumentis reperiendis imparem me esse profiteor. Hartungus quidem, cum versum 468. sciolo alicui tribuit propter tautologiam, verba ὃς εἴργασται τάδε non intellexit minime eadem significare atque haec, ὥς μ᾽ ἀπώλεσεν. sed causam indicant unde perire sibi videtur Agamemno. haec enim dicunt: Paris, qui effecit ut filiam immolare coactus sim.

V. 481.

XXI. — Nullo modo omitti posse puto id quod Elmsleius ad. Med. vers. 323. proposuit hoc loco scribendum, ἀποκτεῖναι τέκνα. et aoristi quidem infinitivus ἀποκτεῖναι eo qui sequitur, ἀνθελέσθαι, requiri videtur, τέκνα autem quin scribendum sit non potest dubitari. nam quis, qui μήτ᾽ ἀποκτείνειν τέκνον μήτ᾽ ἀνθελέσθαι τοὐμόν legerit, ad vocem τοὐμόν primo impetu non subaudiverit τέκνον, quis verum suspicatus sit sensum nisi loco denuo accuratius considerato? praeterea nego consulto poetam utriusque versus eandem terminationem fecisse vocemque τέκνον voluisse prae ceteris sonare. omni igitur modo tenendum est τέκνα. quod, cum sententiam magis generalem reddere videatur, ne cum aoristi infinitivo utpote specialem illam reddente pugnare putes, conferas quaeso versum 736.,

καλὸν τεκοῦσαν τἀμά γ᾽ ἐκδοῦναι τέκνα.

V. 498.

XXII. — Immerito Hermannum, quem praeter Weilium recentiores secuti sunt omnes, repudiasse puto quod con-

iecit Marklandus, *μέτεστί μοι.* nam libros cum Hermanno
si sequimur, aut sic hunc locum intellegamus necesse est, *sed*
si quid vaticinia de filia tua facta ad te pertinent (wenn du ein
recht auf die ausfuehrung des orakels hast), tamen ne ad me per-
tineant, id quod praetulit Klotzius, aut cum Hermanno hunc
eruemus sensum, *vaticinium de filia si curas, ego non curo.*
Hartungus enim quod proposuit nullo modo defendi potest,
quia verbum *μετεῖναι* modo in hunc modo in illum modum ac-
cipere nos cogit. sed accuratius si perpenderimus quid ex re
sit, non modo Klotzium sed ne Hermannum quidem verum te-
tigisse cognoscemus. namque Agamemno neque, etiamsi vati-
cinium illud ad eum pertinet, postulabit ut illi satisfiat, neque,
id quod non est cur moneam, quoniam hac de re tota est fa-
bula, oraculum curat. contra Marklandi si recipimus *μοί,*
hanc habemus sanissimam sententiam: *sed si quid vaticinium de*
filia tua exequendum ad me pertinet, de quo dubito (wenn ich wirk-
lich ein recht auf die erfuellung jenes orakels haben solte), ne ad
me pertineat (tui iuris facio meam partem), sed abiectis diris illis
postulationibus mutavi animum.

Idem nuper vidit Weilius, sed quod is coniecit, *εἰ δέ τι*
κόρης μοι θεσφάτων μέτεστι σῆς, Marklandi coniecturae
postposui, si quidem re male perspecta grammaticus Agame-
mnonem et Menelaum inter se opponi existimans consulto *σοι* in
μοι mutasse videtur.

VERS. 500.—503.

XXIII. — Versum 500. modo accurate indicavi quo et quo-
modo referam, quam rationem et ei quam Weilius excogitavit,

> *μή μοι μετέστω· σοὶ νέμω τοὐμὸν μέρος.*
> *Ἀλλ᾽ εἰς μεταβολὰς ἦλθον ἀπὸ δεινῶν λόγων;*
> *Εἰκὸς πέπονθα· κτλ.,*

praestare et eorum quos G. Dindorfius et Hartungus ex-
cludebant versuum (vers. 500.—503.) saltem primum tueri
puto. reliquis quid insit suspecti prorsus non video. neque

enim dissolutum quod Dindorfius deprehendisse sibi visus est
dicendi genus agnosco neque soloecum puto illud *εἰκός* cum
Hartungo. quanquam cum hoc si ad verba *τοῖσι βελτίστοις*
supplerem *τρόποις,* minime dubitarem execare.

VERS. 508.—510.

XXIV. — Etsi sine dubio recte Agamemnoni hos versus
continuavit Hermannus, tamen ab interpolatore eos profectos
esse vellem ne dubitasset existimare cum Boeckhio[94]), cui
adsensi sunt Matthiaeus Bothius G. Dindorfius Har-
tungus Vitzius[95]), adsentiri vix dubitavit Weilius. quam-
vis enim in numeris non licebat adeo offendere ut adulterinos
eos versus esse inde probari putaretur et quamvis sententia nunc
quidem neque intricata neque obscura videtur, voces autem *τα-*
ραχή et *πλεονεξία* quod in hoc uno loco Euripideo occurrunt
parvi momenti est, hoc permultum valet, id quod Boeckhius non
dubito quin viderit, indicavit primus Bothius, rationem istis versi-
bus eorum haberi quibus minime hic est locus, cum neque *διὰ ἔρω-*
τα neque *διὰ δωμάτων πλεονεξίαν* orta fuerit fratrum inimicitia.
atque hoc quidem opinor quisque concedet, si quidem hac in re
frustra laborabit Klotzius. illud autem qui refutare sibi vide-
tur opponendo quo Menelaus tenetur Helenae amore, is unum
sine altero stare non posse parum reputavit. tamen hoc gra-
vissimum est. ut enim Menelaus et Agamemno fatres ut inimi-
citiam susciperent amor effecerit, minime tamen avaritia sive
dominandi cupiditas sive quod illa Graeca voce significari malis.
quae igitur amorem et dominandi cupiditatem coniungit inimi-
citiae causas, eius sententiae hic non potest locus esse. posset,
si plures quam duae illae fatribus oriri non possent inimicitiarum
causae. nunc vero, quoniam multifariae et sunt et cogitari pos-
sunt, aut omnium harum causarum aut unius amoris mentio ne-
cessario requiritur, tertium non datur. Ne quis me dicat spinose

---

94) Trag. gr. pr. pag. 288.

95) l. l. II. pag. 12.

ac nimis argute poetae partes tribuere logici, sana quaeque mens vel ignara sponte leges observat artis logicae. Euripides igitur non potuit tales ingerere versus, sed qui postea eos addidit, eum quid loci natura postularet non satis perspexisse et necesse est et facile cogitari potest. ceterum istum hominem ex alia Euripidis fabula, ubi de fratribus amoris ambitionisque vi dissociatis narratio fuerit, hos versus sumptos in Iphigeniae margine adscripsisse credibile est, unde intellegitur quomodo Menelai nomen inepte eis praescribi potuerit. Agamemnonis autem orationem multo melius procedere his versibus eiectis quam servatis non est quod moneam, cum versibus 506 sq., qui Menelaum ad ea quae secuntur forti animo audienda tanquam praeparant, protasis insit, versus 511 sq. contineant apodosin.

VERS. 519.—521.

XXV. — Tam speciose Hermannus coniecit *οὐκ, ἣν σανῇ γε πρόσθε* ut nunc quidem accepta illa coniectura vers. 520 sq. retinendi an nulla in versu 519. mutatione admissa eiciendi sint ambigam. Hoc enim pro certissimo habendum est, id quod etiam Hartungus vidit, v. 519. si recte in libris scriptus est, nullo modo genuinos esse posse qui secuntur vers. 520 sq.[96]), et ipsam hanc offensionem, quam diserte agnoverunt, viri docti sublaturi erant mutando illo versu 519. sic Jacobsius *φθάνῃς* scripsit, secuti sunt Matthiaeus et Bremius, sic Hermannus postquam optime refutavit Jacobsium *σανῇ*, nihil autem profecerunt Bothius et Firnhaberus, qui vers. 519., etiamsi *θάνῃ* servaretur, bene versui 520. excipi susceperunt demonstrare. Praeclare igitur Hermannus una littera paullulum mutata revocavit cohaerentiam, unde factum est opinor ut nemini unquam vers. 520 sq. diserte damnare liceat. quae tamen mihi relictae sint dubitationes indicabo. primum

96) Praeter Hartungum hos versus spurios iudicavit Vitzius l. l. II. pag. 12.

enim Menelaus Calchantem interficiendum mihi quidem videtur tam apte proponere ut, unius huius versus si ratio habenda esset, quod libri praebent *θάνῃ* illi quod Hermannus coniecit *σανῇ* magnopere praeferrem. quo accedit quod ea quae addit Menelaus, *τοῦτο δ' εὐμαρές*, multo plus habent ponderis interficiendi magi quam adulandi consilio adiecta. deinde autem hoc nescio an moveat suspicionem, quod versus 520. tam vocabulum *σπέρμα* non ita usitatum habet, quod idem recurrit vers. 524., verbis autem *φιλότιμον κακόν* admonet de versu 527. (*φιλοτιμίᾳ, δεινῷ κακῷ*), quam eadem perhibet de Calchante vatibusque quae v. 527. de Ulixe dicuntur. quanquam hoc quidem minime mecum non reputo non dico consulto sed necessario factum esse posse.

Nec tamen offendendum est in versu 521., quem inconsulte turpissimum dixit Hartungus, immerito mutarunt Canterus et Marklandus, quos ad hunc diem secuti sunt fere omnes praeter Hermannum[97]) et Nauckium, qui suam quisque temptarunt mutationem, et Musgravium et Bothium suo quemque modo versui interpungendo vim inferentes. egregium illud quod praebent libri praeter Klotzium, qui perversam temptavit explicandi rationem, unus retinuit Kirchhoffius.

κοὐδέν γ' ἄχρηστον οὐδὲ χρήσιμον παρόν.

poeta quid his dixerit optime cognoscemus collato hoc loco, Soph. El. 305 sq.,

μέλλων γὰρ ἀεὶ δρᾶν τι ¦τὰς οὔσας τέ μοι
καὶ τὰς ἀπούσας ἐλπίδας διέφθορεν.

quos Sophoclis versus opinor et docere et defendere meam sententiam. apparet enim nihil aliud dicere Electram quam omnes spes perditas esse. sed absentes spes num vere aliquis dicere possit? immo absens aliqua spes nulla est, omnino nihil est. nostro autem loco poeta vates ait homines prorsus nihili esse, quod ut quam gravissime dicat ratione utitur illa Sophocli ad-

97) a. 1847. (De interpp. I. in Aul. l. pag. 12.) scribi iussit *κοὐδέν γε χρηστόν, οὗ δὲ χρήσιμον, πικρόν.*

hibita. neque tamen huc quidem translatam eam ambiguam esse satis perspexisse videatur. quare non licet verba premere, ne alienum nanciscamur sensum, ut haec quoque, *istis hominibus nihil neque mali neque boni inest,* dupliciter possunt accipi.

VERS. 528.—542.

XXVI. — Immerito G. Dindorfium hos versus damnasse vix est quod commemorem, quoniam nova usque interpolatoris vestigia indagandi studio nimis longe abreptum cum aliis interdum locis tum hic graviter eum erga poetarum manes peccasse inter omnes constat viros doctos. tamen refutando illo supersedere non potero. Ac primum quidem quod verba κἆτα ψεύδομαι incommodo loco inserta esse ait, immemor fuit moris tragicis satis usitati[98]), sed mirandus videtur quod hoc non monuit, aperte eisdem verbis illam violari legem quam de quinto trimetri pede monstravit Porsonus, quae lex num vere semper observata fuerit dubitare scimus Hermannum ipsumque Dindorfium[99]). aperte deinde inconsulte miratus est quod Argivi praeter Iphigeniam etiam Agamemnonem et Menelaum interfecturi esse dicuntur sacrificium illius negare conatos. scilicet hoc, virginem recusantes armisque ut decet defendentes eos fingi. ominsit vir doctus eodem modo quo hoc conatus est non intellegere, non posse in castris Iphigeniam postulari postquam Argos pater cum ea fugerit[100]).

[98]) Comparari quidem potest, ut videtur, quod in O. R. est v. 644 sq.,

ἀραῖος, εἴ σέ τι
δέδρακ', ὀλοίμην, ὧν ἐπαιτιᾷ με δρᾶν,

aptius Sept. 181 sq.,

μέλει γὰρ ἀνδρί, μὴ γυνὴ βουλευέτω,
τἄξωθεν.

[99]) vid. quae nuperrime exposuit in Prolegg. ad Poet. scen. ed. V pag. 37.

[100]) Haec ipsa Dindorfii argumentatio prae ceteris aperte perversa, quippe quam rebus nimis leviter perpensis factam esse indicavi, quomodo factum sit ut postea etiam Hermanni plausum tulerit (De interpp. Eur. Iph. in Aul. I. pag. 12.) fateor me non posse intellegere.

Igitur hi versus ut tanquam necessitate praescripti ita genuini sunt, unum si excipias locum, in quo non potest non offendi. simpliciter enim et apte oratio postquam usque ad vers. 535. processit subito non modo tumida ac verbosa facta est, id quod patienter ferre deberemus, sed inepte tacet ea quibus non potest careri. ita enim iudicandum est de versu 535., qui Argos interituros quamvis copiose describat, nulla tamen Iphigeniae Agamemnonisque mentionem facit. αὐτήν enim sive ἡμᾶς, quod voluit Hermannus, si ad verbum ξυναρπάσουσι subaudiamus, plane ridicula fiat hominum moeniumque artissima coniunctio, omnino autem dubito num quis hoc quidem loco, cum accusativus subsequatur γῆν, subaudiendo alterum accusativum de suo adiciat. quare hac quidem in re laudandus est qui de sola terra cogitans ἀναρπάσουσι[101]) coniecit, Marklandus, cum idem verbum ξυναρπάζειν intra quinque versuum spatium variata significatione bis legi merito miratus sit. sed mihi quidem, cui Iphigeniae mentionem nullo modo deesse posse persuasum est, quoniam Hermanni rationem sequi non licitum videtur, tumidus iste versus ac verbo ξυναρπάζειν inepte repetito suspectus manum prodit eiusdem interpolatoris quem et versum 464. cognovimus et passim saepius deprehendemus versus de suo reficientem casu elapsos, a ceterarum interpolationum numero illas quidem accurate distinguendas. tam hic enim quam illic reliquisque quos in mente habeo in locis pauca exciderunt quae quin olim adfuerint ab ipso poeta scripta dubitari non potest, quando quidem et eis quae supersunt arte iuncta fuerunt neque talia fuisse videntur qualia secundis curis relinquere quicunque poeta credi possit.

Hunc autem locum quod attinet primum moenia Cyclopia Agamemno dixerit Argivis minime impedimento fore quominus capta urbe Iphigeniae potirentur patre qui eam defendisset interfecto. deinde autem opinor concinnitatis causa ea repetiverit quae vers. 511 sq. dixit: *ergo immolatione opus est.* haec optime

[101]) cf. Hel. 751. Phoe. 1079.

excipientur versibus 536 sqq., quanquam hos ipsos ab interpolatore profectos esse illud quidem *ἠπόρημαι* totumque versum 537. considerans facile crediderim.

DE STASIMO PRIMO.

(vers. 543.—589.)

XXVII. V. 556. v. 571. — Strophicus versus cum numeros habeat turbatos, si quidem inter duos pedes dactylicos intercessit pes trochaicus [102]), spuriam puto vocem *μετέχοιμι*, quae vocabulum trisyllabum amphibracho inclusum loco suo demoverit, nisi pro *καὶ μετέχοιμι* scribendum sit *μετά τ' ἔχοιμι*, quod, cum tribrachyn saepius videamus trochaeo respondentem, nihil habet suspecti. et qui huic respondet versus, etsi antithetici vitio caret, item tamen indiget correctura. neque vero ego quidem receperim illud quod Musgravius coniecit *ἐνών*, quod et numeros vitio imbuit neque talem qualis ferri possit praebet sensum. nam quid est *κόσμος ὁ μυριοπληθὴς ἀνδράσι ἐνών*? modestiam dici quae plurimis in rebus conspicua sit putavit olim Hermannus, quem multi secuti sunt, sed postea is quoque negavit Euripidem talia scripsisse. quod vero proposuit, *κόσμος ὅπλων ὁ μυριοπληθής*, cum numeros imitetur strophici versus, non possum recipere. itaque pro *ἔνδον* proposuerim *ἔνθ'*, quod, praesertim cum sequatur articulus *ὁ*, a librario facile in *ἔνδον* mutari potuisse apparet. sic verba *κόσμος ἔνθ' ὁ μυριοπληθὴς μείζω πόλιν αὔξει* singularis enuntiationis relativae finibus circumclusa distinguntur a verbis *ἐν ἀνδράσι δ' αὖ*, quae nunc ad illud *μέγα τι θηρεύειν ἀρετάν* referenda sunt, cui cum eodem quo illa quae sunt *γυναιξὶ μέν* modo subiungantur, his ipsis accuratissime opponuntur. sic demum singulis membris redditur recta respondendi ratio. neque tamen, ut omni me liberem suspicione, verbis *ἐν ἀνδράσι* eandem licet quae dativi *ἀνδράσι* esset tribuere vim. immo *ἐν ἀνδράσι* quod dicitur in numero est virorum. apparet igitur subaudien-

[102]) qua de re vide quae ad vers. 764 sqq. dicturus sum.

dum esse *τινί* hunc in modum, *ἀρετην θηρεύειν μέγα τί ἐστιν, γυναιξὶ μὲν κατὰ Κύπριν κρυπτάν, ἐν ἀνδράσι δέ τινι ὅπου ὁ κόσμος ὁ μυριοπληθής κτλ.* *ὁ κόσμος* autem *ὁ μυριοπληθής* disciplina est multos continens qua quae iuribus ac legibus praescripta sunt accurate observantur. *inter viros,* inquiunt igitur, *virtutem sequi decorum est ubi disciplina multos continens maiorem reddit rempublicam:* quibus verbis nihil aliud indicatur quam in legibus observandis viro virtutem ponendam esse (*ἔνθα ὁ κόσμος*), quam virtutem omnes viros (*μυριοπληθής*) sequi necesse sit, ut magna sit potentia atque auctoritas reipublicae. artius igitur contractas complures sententias videmus et tanquam una enuntiatas.

XXVIII. Vers. 573.—589. — Melicas partes maiore cum ingenii labore temporisque iactura quam ceteros fabularum locos ab medii aevi hominibus pertractatas esse et res ipsa suadet, quoniam istis quidem haec carmina maiores quam diverbia praebebant difficultates, et fabularum quae ad nos pervenerunt omnium docet quae nunc plerumque est melicarum partium condicio. occurunt enim in his carminibus paene omnibus loci quidam prae ceteris male habiti quorum uni adhuc lacerati lacunosique, alteri emendatorum interpolatorumque curas sunt experti. quos versus apparet in archetypo aliquo codice aut a summo vel imo margine proximos aut mediorum foliorum in eis locis scriptos fuisse quos manus legentium atterebant tenendo. Ac nostrae quidem fabulae tria inprimis chori carmina exempla praebent luculentissima. sic altera pars parodi, qua navium continetur catalogus, cum enumeratio ista magis delectaret quam quae priore parodi parte descripta sunt, magis etiam legebatur quam illa et corrumpebatur, unde finem habet foedissime mutilatum. sic laceratum sive sudore detritum locum produnt tertii stasimi versus 1080.—1088. primi autem stasimi huius corruptionis indicia prae se fert tota pars altera (vers. 573.—589.).

Mutilatum enim hunc locum esse singulis vocibus versibusque et una quoque compluribus qui cohaerebant versibus elapsis et sensus docet identidem sive praeruptus sive interruptus et

quae singuli aliquot versus praebent indicia monstrant responsionis (vers. 573. 574. 575. = vers. 579. 580. 581.), quibus Hermannus usus ter strophici carminis formam restituere conatus est [103]).

Quae cum ita sint, nescio an non liceat quaerere ab Euripide an ab alieno homine profectae sint illae reliquiae, quoniam ne tantulum quidem reperire possis quod vere suspicionem moveat. neque enim versus 574. suspectus est propterea quod similis videtur versui 1292., praesertim cum vocem βουκόλος nostro loco glossema esse coarguant huius versus numeri perversi [104]), neque magis quam versus 585 sq. (cf. vers. 75.) in dubitationem vocari debent versus 587 sq., quorum alter versum 183. alter versum 754. in memoriam revocet. denique si quis offendit in versu 584., de corruptela cogitet. Reprehendendus igitur videtur G. Dindorfius, qui interpolatori hos versus tribuere periclitatus est, quanquam qui tam apte poeta dignissima dixit, singulos versus si respicimus, is opinor neque inepta illa quae v. 573. et v. 579. leguntur orationis exordia fecit neque imperitus fuit metricae artis.

DE CHORI ANAPAESTIS VERS. 590.—606.

XXIX. — Vers. 590.—597. — Etsi eorum quae ad tuendos hos versus adferuntur minime immemor sum, tamen secundam fortunam virginis ab eisdem chori mulieribus quae summum malum Iphigeniae impendere modo accurate cognoverint tam effuse praedicari voluisse Euripidem vix possum mihi persuadere. nemo opinor postulet ut de misera Iphigeniae condicione chorus verba faciat, sed minus absurde tanquam felicissimam illius fortunam extolli merito desideratum erit. quod autem ex-

[103]) Elem. doctr. m. pag. 542.
Iph. A. edit pag. 53 sq.
De interpp. I. in Aul. I. pag. 14 sq.

[104]) qua de re ad vers. 764 sqq. dicturus sum.

tremos duos versus attinet, ubi Hermannus, ut et sensui subveniret, quem non recte intellexisse eum apparet, et numeros antisystemati quod putarunt exaequaret, scribendum putavit

ϑεοί τοι κρείσσους, οἵτ᾽ ὀλβοφόροι
τοῖς εὐδαίμοσι,
τοῖς δ᾽ οὐκ εὐδαίμοσι ϑνατῶν,

apertior et distinctior sententia videtur tragicisque usitatior quam quae hoc loco removeri possit. una videri possit superesse excusatio, ironia Euripidem usum esse per totum hunc locum. et profecto qui Euripidis morem cognitum habet ambigua verba expectaverit. at talis quidem ironia humilis esset ac sordida minimeque ei comparanda quam praeclare prae ceteris tragicis saepe Euripides adhibuit sublimem et gravem, ut huius tragoediae vers. 640.—677. identidem. Med. 1015 sq., in Electrae illo loco nostri simili vers. 996 sq., al. immo omnino vereor ut spectatorum quisquam ironice accipienda esse quae chorus decantaret sentire potuerit.

Quanquam igitur neque in versu paroemiaco 592., quem indicante diaereseos defectu Bothius et Hermannus recte restituerunt, offendo cum G. Dindorfio, qui talem versum hoc loco ferri posse negavit, neque cum eodem grammatico iusto magis admiror vocabuli ὀλβοφόροι significationem, quam notissimo illo μισϑοφόρος, non voce ἀϑλοφόρος aut Medeae illo τελεσφόρος παίδων ἔρως v. 714., satis defendi existimo, neque eundem Dindorfium secutus in suspicionem voco εὐμήκεις τύχας, a Porsono illas quidem Empedoclis aliquo loco firmatas (ap. Clem. Al. str. IV. 4. 13. ap. Plut. exil. s. f.),

ἐξ οἵης τιμῆς τε καὶ οἵου μήκεος ὄλβου,

cui Antig. vers. 392 sq. addidit Klotzius: hoc tamen Dindorfio lubenter concedam, ut ab ista inscitia sententiaeque pravitate Euripidem liberem. et liceat forsitan hoc adferre, quam mire Iphigeniae et Clytaemnestrae nomina coniuncta sint, quasi non filia materque sed amicae aequales essent, quocum hoc congruit, quod alto loco orta magnam felicitatem adsecuta esse utraque

praedicatur, quae parum apte simul de Clytaemnestra et Iphigenia dici non est quin sentiat.

Itaque longe quidem absum a diserte Euripidi his versibus abiudicandis, quoniam in rebus aestheticis quas recentiores dicimus nulla certa est quid scripserit poeta quid non diiudicandi nota, sed tamen postquam hoc mecum reputavi, talibus in condicionibus apte et accurate describendis et lubentissime versari Euripidem et summam praestare artem, ita ut ambiguitatis atque ironiae sine dubio palmam tulerit, non potui a me impetrare ut hunc locum, cui prae ceteris illa arte opus erat, ab Euripide tam misere neglectum esse facile concedam, quare hos quidem anapaestos a tragicorum aut sentiendi aut dicendi ratione ceteroquin minime alienos vix dubitaverim Euripidi tribuere minori, qui hanc tragoediam et docuisse traditur et perpolisse nonnullisque in locis supplevisse putatur non sine aliqua specie veritatis.

Alius homo alteros anapaestos addidit, versus 598.—606., qui inferioris aetatis accuratissime indicant grammaticum tragicae legis prorsus ignarum. nimirum is, quoniam reges et reginas ignoravit nunquam comitantibus servis destitutos in scenam prodire, id quod ex ipso nostro loco discere debebat, postquam in eis quae secuntur Clytaemnestram non nulla mandare vidit, chori mulieres et iuberi illa et exequi putavit. itaque non est mirandum quod, cum mulieres peregrinas, ne nimis mira viderentur reginae mandata, se ad haec exequenda paratas ostendere vellet, istos anapaestos inculcavit officiosam praedicantes mulierum voluntatem. nos vero, qui tam ex ipso hoc loco quam ex similibus aliarum tragoediarum (cf. El. 998 sq. Med. 950 sq.) servos servasque hic adesse colligimus, poetam intellegimus inculcatis his versibus factum esse misere sibi pugnantem. nimirum quae mulieres se facturas esse loquaciter praedicarunt, ea vere a servabus nunc effici credere debemus. an nihil agentes ancillas adstare putabimus trepidantibus ingenuis eisque peregrinis? immo Electrae similem locum si inspexerimus, Euripidem aliter res instituisse docebimur chorumque

reginam consalutare, cetera ancillas agere voluisse. praeterea autem videbimus qua ratione reginam excipi deceat. miro enim modo qui hos anapaestos fabricatus est et humiles ac submissas et elatas atque arrogantes mulieres finxit, cum quae modo ancillarum officia suscepturas se praestiterunt regias mulieres servis circumstipatas ante ipsius Agamemnonis domum terrere sibi videantur peregrinae in medio Graecorum exercitu. hanc enim in partem accipiendos esse versus 604.—606., non de verbis aut rebus male ominatis cogitandum esse luculentissime apparet ex versu 606., qui mulieres testatur in timore esse ne Argivae terreantur adspectu alienarum.

Neque singula considerantibus non obviam fiunt quae signa prae se ferant miserrimi interpolatoris. non dico id quod postquam Hermanno[105]) haec ut adiceret interpolator eis quae mox Clytaemnestra vers. 615.—618. dicit adductus esse visus est ut longius persecutus est ita nimis acriter vituperavit Hartungus[106]), secundum versus 615 sqq. tanquam ad propositum exemplum hos anapaestos factos esse, quoniam ipse Euripides, si haec in eundem scripsisset finem non video quam aliam atque interpolator reperire posset rationem. neque numerorum isti grammatico culpam tribuo, si quidem etiam nunc supersunt quae huius quidem metri satis peritum illum fuisse demonstrant[107]), et lubenter adstipulor Hermanno, qui hac quidem criminatione istum quoque hominem voluit liberari[108]). Magnopere vero in sermonis offendo obscuritate. sic hoc *στῶμεν* quid sibi vult? saltasse mulieres nemo opinor putabit, sed hoc forsitan Hartungo concedatur, originem id e versu 619. duxisse, interpolatorem autem pro certo habeo ipsum quid dixerit

[105]) praef. pag. XXXI.

[106]) l. l. pag. 72 sq. cf. p. 152.

[107]) cf. quae ab Hermanno adlata sunt l. l. pag. XXX.

[108]) v. 601. cum G. Dind. et Herm. (De interpp. II. pag. 3.) *μαλακῇ ῥώμῃ*, v. 602. *τὸ νεωστὶ μολόν* cum Hermanno scripserim. v. 604. certissimum videtur Marklandi *μὴ δή*, de versu 603. ambigi potest.

ignorasse [109]). deinde quomodo iungenda aut struenda sunt ea verba quae continentur versibus 601.—603.? hoc constat, ad Iphigeniam transiri, si quidem nimia esset interpolatoris insania, si Clytaemnestram quam lenissime excipiendi hanc habuisset causam, ne timor iniceretur Iphigeniae. at praeterea quid certi statui potest? nisi obscuram hanc suspicemur rationem, *ἀγανῶς δὲ χεροῖν μαλακῇ ῥώμῃ* (sc. *δεξώμεθα*), *μὴ ταρβήσῃ, τὸ νεωστὶ μολὸν τέκνον.*

Haec fere habui cur Hermanno G. Dindorfio Hartungo Nauckio Vitzio [110]) praeeuntibus L. Dindorfio oboedierim hos anapaestos eici iubenti. nihil enim profecisse mihi videtur Firnhaberus [111]), qui novi nihil adferens maxime ex eis quae statim Clytaemnestra dicit, *ὄρνιθα μὲν τόνδ' αἴσιον ποιούμεθα, τὸ σόν τε χρηστὸν καὶ λόγων εὐφημίαν,* necessario hos anapaestos antecedere collegit. nam haec ad quancunque chori consalutationem referri posse non est quod moneam, immo melius opinor quam ad eos de quibus modo quaesitum est ad qualescunque salutandi anapaestos haec referentur.

Et profecto tales quidem anapaesti cum in scenam fabula producta est non abfuerunt. sed Euripides nescio an, cum maiorem vidisset huius loci difficultatem [112]) quam quae statim componere versus permitteret, secundis curis haec relinquens ad sequentia progressus sit, quae ante illos anapaestos scripta fuisse optime potest cogitari. minor autem Euripides post mortuum poetam cum agenda esset fabula praeter alia hos addidisse

---

[109]) Ridiculi quid accidit Firnhabero pag. 274. „ohne zweifel war der chor von unbekannten frauen den ankommenden eine unwillkommene erscheinung, *zumal wenn derselbe im angesichte der letzteren auf und davon gegangen wäre.*“ pag. 275. „es kommt ihnen in den sinn, *sie wollen nicht fliehen*, sondern freundlich entgegen gehen.“ eo usque eum abduci consentaneum est qui ne hoc quidem sibi sumit, ut ineptissima reprehendat.

[110]) l. l. II. pag. 11.

[111]) l. l. pag. 273.—276.

[112]) cf. pag. 79. 80.

videatur priores anapaestos, quibus alteros multis annis post adfixit iste grammaticus. quem quanquam nunquam demonstrari poterit, apte tamen, quoniam per totam fabulam loci inveniuntur simili ratione ab interpolatore vexati, conicitur in tota fabula quodam modo amplificanda similiter versatum esse. homo fuit satis doctus, metricae artis minime imperitus, sed tam acumine ingenii quam poetica facultate prorsus caruit neque communes omnium tragicorum consuetudines aut recte loquendi leges satis cognitas habuit, qua in re ab isto homine immane quantum distare necesse est bonae aetatis homines atque Euripidem minorem.

VERS. 607.—639.

Versus 607.—630., utpote quos veteris interpolatoris putaret, seclusit G. Dindorfius, qui idem damnavit versus 631 sq. 635.—639. secutus est Nauckius, sed genuinos habuit et versus 607.—618. et versus 638 sq. versus 619.—637. omnes damnavit Kirchhoffius. ceterorum criticorum plerique exceptis Firnhabero et Klotzio, qui non nisi in verbis quibusdam offendunt, Matthiaeum L. Dindorfium Bothium Hermannum Hartungum Weilium dico, Porsonum secuti sunt, qui versus 630. et 631. disiunxit interpositis versibus 633 sq., versus 635.—637. delevit, versus 638 sq., qui in libris sunt Agamemnonis, tribuit Clytaemnestrae. hoc idem in mentem venit Bremio, qui de ceteris quid senserit parum perspicuum est, cum plerumque satis habuerit dubitationes movisse. hoc constat, delevisse eum versum 637. et continuasse versus 631 sq. et 638 sq. praeterea versum 630. damnavit Porsonus, versus 627.—630. Matthiaeus, quem secuti sunt L. Dindorfius et Bothius. ego quid sentiam infra dicam ad vers. 627 sqq., ubi primum offendi. nam antea neque ipse inveni neque Dindorfius suspecti quicquam attulit de quo agere possim. illud enim *πωλικῷ δαμεὶς ὄχῳ*, quod est in versu 623., tantum abest ut miserum interpolatoris inventum putem ut optimo poeta dignum habeam.

XXX. V. 614. — Istud *θ' ἅμα*, quo adiectivum *ἀσθενές* iungitur cum adiectivo *ἁβρόν*, sive ad substantivum *κῶλον* sive ad verbum haec adiectiva refers, ferri non posse mihi videtur. neque enim ponendi verbum non accuratius denotata ponendi ratione poetam posuisse neque, si quis adverbiorum vice haec adiectiva fungi dicit, *ἀσθενές*, i. e. *ἀσθενῶς, τιθέναι κῶλον* dici posse mihi persuadeam. itaque disiungenda videntur adiectiva, abiciendum autem puto id quod est *θ' ἅμα*, quod, cum per se quoque satis ineptum sit, dubitari non posse mihi videtur quin supplementum sit a correctore versui mutilato adhibitum. nimirum poeta forsitan scripserit

ἁβρὸν τιθεῖσα κῶλον ἀσθενὲς ποδός,

pleonasmo adhibito Graecis valde usitato, cuius rationis unum hic adfero exemplum nostro loco simillimum, Phil. 1201. *ἐμοῦ ποδὸς ἄρθρον.* sic igitur substantivo iungitur *ἀσθενές*, verbo *ἁβρόν*, quod saepius invenimus eundi verbo additum. cf.

Med. 1164. *ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί.*
Troa. 821. *ἐν οἰνοχόαις ἁβρὰ βαίνων*
Λαομεδόντιε παῖ.

inde recta distinguendi ratione utemur Or. 140 sq.,

λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης τίθετε,

et Hel. 1528.,

σοφῶταθ' ἁβρὸν πόδα τιθεῖσ' ἀνέστενε,

ubi vocabula *λεπτόν* et *ἁβρόν*, quamvis proxima sint a substantivis, cavebimus non ad ponendi verba referre refragante licet Klotzio, *σοφῶταθ'* autem qui cognitam habet loci naturam cum verbo *ἀνέστενε* iungere non dubitabit.

Pridem haec scripseram cum item Hermannum in hoc versu offendisse vidi, quem proposuit sic mutari [113]),

ἁβρὸν τιθεῖσα κῶλον ἀσφαλῶς χαμαί

vel *ἀσφαλῶς πέδῳ (πέδοι).* sed hanc sequi rationem duae me prohibent causae. primum enim exemplorum illorum quae supra enumeravi auctoritas cum vocem *ἁβρόν* artissime cum

[113]) **De interpoll I. in A. II pag. 3.**

verbo iungere suadeat, retinere licebit quod traditum est *ἀσθενές.* deinde autem ex eis quae statim secuntur [114]) non ex ipso curru virginem pedem humi ponere sed ancillarum manibus excipi cognoscimus quibus in humum demittatur. unde sequitur ut *ἁβρὸν τιθεῖσα κῶλον* de pedibus inter descendendum caute ponendis dictum sit neque vero apte addatur *χαμαί* vel tale quid.

XXXI. V. 615. — De servis (cf. *εὐλαβούμενοι* v. 612.) servabusque Clytaemnestram huc secutis supra monui ad vers. 598.—606. quod vero recentiorum quoque complures Chalcidicis mulieribus haec mandata dari putant non dubito quin ea potissimum causa sit quod sollemniter *νεάνιδες* appellantur quae Iphigeniam excipere iubentur. sed nimis confidenter opinor viri docti hanc Piersoni coniecturam receperunt parumque accurate ea perpenderunt quae in codicibus inveniuntur. codex autem Palatinus *νεανίδαισιν* habet, in Florentino *νεανίδεσσιν* scriptum est. quae si comparamus, statim eandem eorum rationem esse cognoscimus quae omnino inter illos codices intercessit. certe quoniam Florentinum ea quae in archetypo mendosa erant correcta et emendata praebere, Palatinum vitia illa plerumque retinuisse constat, quare hic codex illi anteponitur, ego quidem etiam in hoc loco emendando a Palatini illo *νεανίδαισιν* potius, quod plane nihil est, quam a Florentini *νεανίδεσσιν* proficiscar, quod, cum sensum aliquem praebeat, correctorem prodit quamvis incautum. recte enim Matthiaeus contra Toupium, qui idem e coniectura proposuit, accusativum desiderari monuit. hunc accusativum praebuit Piersonus, sed Florentino codice nixus immerito introduxisse mihi videtur *νεάνιδες.* Nos, si vestigia sequimur in Palatino relicta, ultro fere in id incidimus quod Lobeckius coniecit, *νεανίαις νιν ἀγκάλαις ἔπι.* et hoc quanquam vir doctissimus ipse abiecisse videtur, ego repetiverim restituique velim. nam qui *τύχη σωτήρ* (Ag. 642.

[114]) **Hos duos versus sine idonea causa Hermannus interpolatori tribuit l. l. pag. 4.**

O. R. 81.) *τιμαὶ σωτῆρες* (Eur. El. 993.) *Νύμφαι σωτῆρες* (Phil. 1471.) *χθὼν σωτήρ* (Med. 360.) dixerunt, quamvis usitata esset vox *σώτειρα* [115]), quid non poterant ei neglecto feminino vocabulo *νεᾶνις* coniungere *νεανίαι ἀγκάλαι*? hoc autem si admisimus quanto pleniorem habemus orationem: *vos autem robustis ac tutis brachiis eam excipite.*

XXXII. Vers. 627.—639. — Quaecunque versui 627. praecedunt ego quidem nullam video causam Euripidi abiudicandi [116]), sed quae secuntur varias movent suspiciones easque gravissimas. singulas examinabo. Poetas tragicos ubicunque describunt qualia hic legimus nihil dicere tenendum est quin vere fiat aut in scena agatur [117]). Iphigeniam igitur supra vers. 615 sq. antequam ipsa Clytaemnestra descendit currum relinquere vidimus primam, item autem Orestem nunc extra currum versari docemur vers. 621 sq. sine dubio igitur statuendum est dormientem puerum a servabus e curru tolli, dormientem obvium ferri Clytaemnestrae, quae blande eum adloquitur cum infante, ut solent matres, qualia mente iste percipere non potest confabulata. Haec qui in libris excipit versus 627., optime ille quidem cum eis cohaerens quae antecedunt, fuerunt quibus seiungendus esse ab illis, coniungendus videretur cum versu 628. sed ea dum spectabant quae ante oculos erant quae post tergum essent obliti sunt. nam cum hoc intellegerent, quam inepte puella nunc quidem humi considere, statim vero patri obviam ire iuberetur, aut, id quod maioris momenti esse mihi quidem videtur, virginem adultam eamque regiam quam parum deceret humi considere, vocem *κάθησο* mutare conati sunt alii aliis vocibus.

---

[115]) cf. Ant. 1074. *Ἐρινύες λωβητῆρες ὑστεροφθόροι.* de adiectivo *Ἕλλην* addito substantivo feminino vid. hui. fab. vers. 64 sq. (*πόλιν Ἕλληνα*) et quae attulit Krueger. gr. II. 1. 22, 6, 5.

[116]) Nam Matthiacum, cui vers. 625 sq. cum versu 609. pugnare videbantur, optime refutavit Hermannus, qui idem quas Boeckhius (Gr. tr. pr. pag. 292.) moverat sustulit suspiciones, cf. Herm. ad v. 630.

[117]) cf. etiam Mehlhorn. Allg. Schulz. a. 1833. no. 80. p. 640.

sic *καθίσιω* scripsit Marklandus, quem ex recentioribus secutus est Weilius virgula qua post vocem *τέκνον* plerumque inciditur deleta ideoque altero vocativo sublato optime sensui consulens. neque tamen admitti potest *καθίσιω*, si quidem neque est unde descendat Iphigenia et ea quae sunt *ἑξῆς μου ποδός* non possunt non de humi considendo dici vel de humi deponendo aliquem. *καθεῖσα* coniecit Hermannus. sed quae adiecit commendandi causa, ea tantum abest ut probent nobis hanc coniecturam ut in suspicionem potius eam vocent. statuit enim in carpento adhuc sedenti Iphigeniae praecipere Clytaemnestram ut puerum ad se demittat. at dudum illa, id quod etiam Hartungus monet, extra carpentum versatur perinde ac mater et frater, unde sequitur ut ne puer quidem de curru demitti possit. quid nunc? in manibus Iphigeniae puerum esse putemus, quem nunc in humum matris ad pedes demittere iubeatur? at teneram virginem potius quam nutricem servam puerum portasse quis credat? et supra nonne ab una ex servabus illum exceptum esse vidimus? ergo ne Hermannum quidem sequi licebit.

Frustra igitur viri docti operam consumpserunt. sive enim *κάθησο* retinemus sive *καθεῖσα* scribimus, ut taceam de eo quod nullo modo ferri potest, *καθίσιω*, ut artius inter se cohaereant duo illi versus non efficimus. atqui cum ea quae sunt *ἑξῆς μου ποδός* satis aperte doceant vix aliud quicquam a poeta scriptum fuisse quam verbum aliquod cuius notio proxima sit a ponendi vel considendi notione, non diutius opinor dubitare licet quin versus illi omnino nunquam vere inter se coniuncti fuerint. ac versum quidem priorem, qualis per libros nobis traditur, cum ea quae proxime antecedunt optime cum eo cohaereant, ego quidem non possum non genuinum putare. versum autem alterum aut lacunae compensandae causa ab interpolatore factum de industria priori adiunctum aut genuinum postquam alia lacuna sint exhausta iniqua fortuna alteri finitimum factum esse statuendum erit.

Nec magis quam cum eo qui antecedit versus 628. cum eo

versu cohaeret qui sequitur, et recte Hermannus ne interpolatorem quidem monuit tam absurdum fuisse putandum esse ut haec cuiquam ab eo profecta videri possent, *μακαρίαν με ξέναισι ταῖσδε δός*[118]. quod autem Camperus, quem nuper Weilius secutus est, pro *δός* posuit *θές*, id si vere olim scriptum fuisse crederemus, non Euripidi sed interpolatori hic locus tribuendus esset. quis enim nisi miserrimus homo talia scribat? de quibus recte Matthiaeus: hoccine apparatu opus erat, ut Chalcidicae mulieres eam ob filiae formam matrem beatam praedicarent?

Hinc antequam pedem proferamus moneo ab Hermanno anno 1848.[119] hanc propositam esse quam in conectendis versibus 627.—629. sequeremur rationem,

ἑξῆς κάθησο δεῦρό μου ποδὸς, τέκνον,
πρὸς μητέρ᾽. Ἰφιγένεια, σὺ δέ σε μακαρίσαι
ξέναισι ταῖσδε πλησία σταθεῖσα δός.

quam rationem ut probarem a me impetrare non potui tribus de causis. primum enim quam Hermannus sibi persuasit genuinam fuisse formam versus 628. parum approbant libri. deinde autem eiusdem versus sane pol asperrima est oratio[120]. denique qualis versibus 628 sq. praebetur ne sensus quidem videtur probari posse, si quidem ut a feminis beata praedicetur Iphigenia cur proxime ab illis consistere debeat ego quidem non video.

Iam domo egressus est Agamemno. quem ubi vidit Clytaemnestra filiam monet ut patrem adloquatur. at, inquiet fortasse aliquis, non concinunt cum hoc versu (v. 630.) ea quae secuntur, certe melius se haberet hic locus, si abesset v. 630. dubitari enim potest num ipse poeta Iphigeniam fecerit timentem ne mater, quae ipsa filiam ad patrem salutandum invitavit, sibi

---

118) Nihil proficit Mehlhorn. l. l. no. 81. pag. 641.
119) De interpp. I. in A. II. pag. 4.
120) cf. Il. I. 282. *Ἀτρείδη, σὺ δὲ παῦε κτλ.*, II. 344. *Ἀτρείδη, σὺ δ᾽ ἔθ᾽ ὡς πρὶν ἔχων ἀστεμφέα βουλὴν ἄρχευ᾽ Ἀργείοισι.*

irascatur patris amorem aperte ostendenti. haud male ille quidem. sed tamen nescio an genuinus sit iste versus, quoniam hic tragicorum erat mos, ut apto aliquo modo indicarent qui recens in scenam prodiret. accedit autem quod non amoris illius aperte ostentati filia veniam poscit sed qua eum ostendit rationis. nam apparet ea quae sunt *ὀργισθῇς δὲ μή* ad illud *ὑποδραμοῦσά σε* referenda esse. veniam igitur Iphigenia petit propterea quod patrem complexura succurrit matri. Agamemno enim iam prope accessisse et in eo esse videtur ut dextram porrigat Clytaemnestrae, cum quae iuxta matrem prope adstitit Iphigenia brachio matris porrecto succurens subito versatur inter matrem et patrem ut hunc amplectatur illam praeveniens.

Qui secuntur versus 633 sq. Porsonus et ceterorum paene omnes transposuerunt ante eos de quibus modo actum est Iphigeniae versus, tria, si quid video, ut adsequerentur. primum enim, cum recte, ut mihi quidem videtur, eicerent versus 635.—637., qui in libris eos excipiunt, versus 638 sq., non haberent quo referrentur, nisi promoti essent vers. 631 sq. deinde ad ipsa illa filiae verba matrem respondere opus videbatur. tum autem opinor ferri non posse existimabant quod filia Agamemnonem salutabat prior quam ipsa coniunx. haec igitur in quibus offendebant viri docti tria hac una admissa mutatione sublata sunt. sed ex tribus illis mihi quidem illud tantum quod primo loco attuli aliquid momenti habere videtur. nam quod Bremius inprimis postulavit, ut respondeatur filiae a matre, id non modo necessarium sed ne verum quidem esse puto, quoniam hoc mihi persuasum habeo, inter amplectendum illa dixisse Iphigeniam. neque maiori cum iure in eo offensum erit quod filia matrem praevenit in salutando. quid enim pulchrius et naturae magis conveniens virginis quidem est vix adultae quam patri, ubi primum in conspectum venit magnum temporis spatium domo absens, matris parum reverentem obviam currere ut prior eum salutet? sic una relinquitur causa prima, scilicet quod extant versus 638 sq., et magnopere vereor ne ex hac causa ortae sint duae priores. nemo enim opinor post versus

631 sq. matris responsum requireret, si abessent versus 638 sq., nemo postularet ut prior quam Iphigenia Clytaemnestra Agamemnonem adloqueretur, nisi versus illos continuanti molesti essent versus 633 sq. Unum vero nescio an parum respexerint viri docti. Bremius quidem miratus est quod Clytaemnestrae coniugem amicissimis dignissimisque verbis adlocutae Agamemnonis nullum datur responsum, sed fefellit opinio Matthiaeum qua Porsonum putaret mutatione illa hanc quoque sustulisse offensionem. nemo deinde mentionem desiderat Orestis, quem sive adhuc in scena versabatur sive, id quod nego propter versum 627., in domum ab ancillis ductus erat uno saltem verbo respici oportebat a Clytaemnestra vel ab Agamemnone. quae cum ita sint, dubitari non potest quin lacuna exhausti sint Agamemnonis versus complures, fortasse nonnulla etiam Clytaemnestrae, sed disputari potest qui locus lacunae statuendus sit. at hoc certum videtur, exceptos fuisse versibus illis exhaustis versus 633 sq., quippe qui ea continent quibus Agamemnonem consalutat Clytaemnestra. eis optime addatur mentio Orestis, eos necessario sequatur responsum Agamemnonis. ubi igitur versus 633 sq. posuerimus, ibidem locus indicandus erit lacunae. cum Porsono igitur versui 630. illos adiungamus et Iphigeniam amoris plenam patremque complecti cupientem per sex septemve versus tacite prope adstantem faciamus. quo tandem modo hoc ferri poterat? immo luculentissime apparet lapsum esse Porsonum, prudenter egisse Euripidem quod Iphigeniam salutantem fecit ante Clytaemnestram. sic omnia recte se habent, sic poeta et omnia attulit quae non omitti decebat neque veri neglexit similitudinem. accedit autem quod exteriorem huius loci condicionem si accuratius consideramus facere non possumus quin vere ipso eo quo nunc sunt loco versus 633 sq. a poeta positos esse credamus. secuntur enim eos nunc quidem versus 635.—637. ineptissimi eique mendosi. quos cum ab aliquo desideratos ideoque ingestos esse incredibile sit, iacturae compensandae causa apparet aegre ex versibus 631 sq. 640. consutos esse. qui autem interciderunt versus, quid aliud

eos complexos esse cogitari potest quam Orestis mentionem Agamemnonisque responsum?

Tam firmis igitur argumentis cum defensus sit qui versuum 630.—634. in libris est ordo, prima quoque ista ratio auctoritatem amisit. neque magis causam video versus 638 sq. loco suo movendi et inter versus 632. et 633. ponendi. namque et Clytaemnestra filiae respondeat nequaquam necesse esse supra monui et lacunam inter utrosque versus intercessisse modo vidimus. cuius lacunae explendae causa cum dubitari non possit quin versus 635.—637. aliquis fabricatus sit, qui eos secuntur, versus 638 sq., aut genuini esse atque eos qui lacuna exhausti sunt excepisse aut ipsi spurii ab eodem qui alteros fecit homine originem ducere nobis videri debent potius quam ex vera sua quam post versum 632. obtinuissent sede huc devecti esse. nam facile quidem excogitari potest tale quid, in antiquo aliquo codice versus illos 638 sq., qui locum suum post versum 632. habuerint, in media pagina omissos ideoque in margine adscriptos fuisse, unde postea in eo libro qui ab isto codice descriptus sit alienum locum occupaverint. sed haec et quae statui possunt similia etsi non abhorrent a veri similitudine, tamen vix admittenda mihi videntur propterea quod versus 631 sq. necessario excipiendos esse versibus 638 sq. non potest probari.

Tractatis igitur singulis iam de toto loco quid sentiam breviter dicendum erit. Atque ei quidem versus quattuor qui priorem partem complectuntur, si sententiam qualis fuisse videtur respicimus, etsi facile eis careamus, tamen non sunt eiusmodi ut iure ac merito eiciantur. videtur enim Clytaemnestra et utrique liberorum locum monstrasse in quo quisque consisteret et Iphigeniae, praeterquam quod eam ut patrem salutaret adhortata est, nonnulla mandasse. haec igitur, quatenus nunc cognosci possunt, nullam movent suspicionem. neque tamen licet, id quod supra demonstravi, versus 628. 629. inter se coniungere neque continuare versus 627. 628., quanquam suspicione non prorsus liber est versus 628. cogimur igitur ut tam post versum 627. quam post versum 628. signa ponamus lacunae.

Qui autem secuntur versus inde a v. 631., eos optime eum qui in libris est ordinem servare facere non possumus quin concedamus, si simplicissimam sequimur rationem. viri autem docti quicunque Porsonum secuti versuum sedes mutarunt lacunam non viderunt, quae nos quidem non possumus dubitare quin eos deleverit versus qui ab Euripide adiuncti fuerint versui 634. hunc enim qui in libris excipiunt, versus 635.—637., secludantur necesse est utpote ab homine parum erudito ad explendam lacunam facti. De versibus 638 sq. quid certi statuam non habeo. illud enim si consideramus, nunc quidem lacuna eos a reliquis versibus seiunctos esse, non illuc eos referemus, sed aut inter eos qui nunc desunt quo referebantur habuisse eos putabimus aut ipsos quoque spuriis adnumerabimus. utrum verius sit nemo unquam dicet. mihi a correctore potius quam ab Euripide oriundi videntur. quod vero aliae rationes et cogitari possunt et cogitantur, de quibus supra dixi, plane refutare eas non possum, etsi et parum simplices mihi videntur et hoc monere velim, haud facile responsum a latere discedere eorum verborum ad quae referendum sit, responsum autem quod non posuerit poeta ab aliquo librario additum esse multo videri credibilius quam ab ipso poeta scriptum in codicibus omissum esse.

His statutis singulos versus sic disposui.

ἑξῆς κάθησο δεῦρό μου ποδός, τέκνον,
* * * * * *

πρὸς μητέρ', Ἰφιγένεια, μακαρίαν δέ με
* * * * * *

ξένοισι ταῖσδε πλησία σταθεῖσα δός,
καὶ δεῦρο δὴ πατέρα πρόσειπε σὸν φίλον.
ΙΦ. ὦ μῆτερ, ὑποδραμοῦσά σ'· ὀργισθῇς δὲ μή·
πρὸς στέρνα πατρὸς στερνὰ τἀμὰ περιβαλῶ.
ΚΛ. ὦ σέβας ἐμοὶ μέγιστον, Ἀγαμέμνων ἄναξ,
ἥκομεν, ἐφετμαῖς οὐκ ἀπιστοῦσαι σέθεν
* * * * * *

ΑΓ. * *
*

† *ΙΦ.* * *
*

† *ΚΛ.* ἀλλ', ὦ τέκνον, χρή· φιλοπάτωρ δ'ἀεί ποτ' εἶ
† μάλιστα παίδων τῷδ' ὅσους ἐγὼ ἔτεκον.

VERS. 652 sqq.

XXXIII. — Troiam patrem profecturum esse non nesciens Iphigenia quam v. 651. ille diuturnam dixit absentiam non potuit non ad illam expeditionem referre: quare merito mirandus est versus 652., quo quae pater dixit filia negat se intellegere. quo cum haec accedant gravissima, quod vere de Troiana expeditione Iphigeniam cogitare complures docent eorum versuum qui infra secuntur et quod cum versu 652. vel ea pugnant quae statim respondet Agamemno, nullo modo ferri potest v. 652., neque ceteris quibus adfectus est vitiis opus erat ut gravissimas nobis moveret suspiciones. Tamen sensui, quantum scio, medelam adhibebat primus Hartungus versu sic scripto,

οὐκ οἶδα· φῂς δὲ φίλτατα τάδ' ἐμοί, πάτερ.

sed lapsus est opinor eo quod nuptias Iphigeniam in mente habere arbitratus est, quamvis eadem sententia fuerit Hermanni. in Achillis autem matrimonium se datum iri etsi minime nescit, tamen parentes relinquendos esse viro nupturae nondum secum reputavit, id quod accuratissime apparet e versu 670. certissimum igitur hinc quoque est quod supra dixi, Troianam expeditionem ab Iphigenia intellegi debere. unde etiam Weilium errasse apparet, qui item nuptiis utitur ad versum explicandum, quem sic scripsit,

οὐκ οἶδά θ' ὅ τι φῂς, κοἶδα, φίλτατ' ὦ πάτερ.

Iphigénie, inquit, *doit ignorer qu'on veut la marier; cependant, elle sait très-bien de quoi il s'agit. elle dit donc: „Je ne sais pas ce que tu veux dire, et je le sais“* [121]). ceterum haec nescio an

---

[121]) De nuptiis Iphigeniae celandae quae causa fuerit non video, sed celari eas Weilium immerito statuisse cum ex aliis tum ex versibus 624.—626. colligo, qui coram Iphigenia quin dicti sint non potest dubitari.

ab Iphigenia dicta esse non possint putari quae illius est simplicitas.

Aut igitur nova aliqua medela reperienda est versui omnibus ex partibus corrupto aut, id quod proposuerim, secludendus est utpote misera qua fortuna perditi genuini a grammatico parum docto inculcatus vicarius. quae Euripides autem Iphigeniam dicentem fecerit si quaerimus: quid aptius statui possit quam sperare filiam fore ut mox pater revertatur? talem versum etiam Agamemnonis illa optime excipiunt συνετὰ λέγουσα κτλ., omnino vix quicquam relictum videatur unde etiamnunc in hoc loco offendere liceat.

Neque enim adsentiendum est G. Dindorfio, qui quos olim cunctos spurios dixit[122], eosdem hos quattuor versus 652.—655. hodie in suspicionem vocat, versum 652. non reputans nullo modo ab eodem homine scriptum esse posse atque eos qui secuntur, cum quae quattuor istis versibus continentur ne sententiae quidem inter se cohaereant, parumque studiose quaerens unde ista quidem addere cuiquam in mentem venerit. Profecto versus 653.—655. si suspectos haberem in tota hac pulcherrima tragoedia vix ullum me habere fatendum esset versum quem Euripidi non abiudicarem. Itidem iudicaverit Nauckius, qui etsi hoc quidem loco illos ferre noluit, tamen in versuum 660.—663. locum eos substitui proposuit. at ne Nauckius quidem versus 653 sqq. reputavit non concinere cum versu 652., quam offensionem apparet nullo modo tolli transferendis versibus.

Accedit quod ego quidem nec video cur quae v. 659. Agamemno dicit Iphigenia intellegere non possit, si quidem optime illa verba in eos cadunt qui in Troia oppugnanda morituri sunt, nec causam reperio unde versus 660 sqq. spurios existimem, quoniam ea quam Boeckhius olim attulit ut versum 660. aliosque reiceret utpote falsa propositione nixa nihil habet ponderis[123]. nam etsi verum est, versibus 660 sq. seclusis con-

122) Ztschr. fr. Altthmw. a. 1839. no. 132.
123) vid. Gr. tr. pr. pag. 261.

cinniorem fieri sermonem expeditioremque procedere sententiam, tamen consulto a poeta haec interiecta esse quis non videt? domi enim patrem retinere cupiens Iphigenia, postquam precibus nihil profecit (vers. 656 sq.), nunc aliam rationem temptans monet quam longum temporis spatium Aulide moratus nunc quoque domo pater absit. ille vero miserrimi fati semper memor animum totum ad tristem illam qua morari coactus sit causam attentum habet. quare puella frustra se operam consumere intellegens, quae mobilitas est puerilis animi, missis illis exercitus traiciendi mentione mota curiose quaerit quaenam sedes sit Phrygum. sed patrem discessurum esse iterum iterumque recordatur, ut cum aliunde tum ex illo apparet quod est v. 664., λιπὼν ἐμέ. ceterum recte in fine huius versus Elmsleius Hermannus G. Dindorfius Kirchhoffius interrogandi signum deleverunt, qua correctione minime efficitur ut minus facile hic versus excipiatur ei qui sequitur. Paris autem ubi habitaret omnibus notum erat opinor vel infantibus.

VERS. 665 sq.

XXXIV. — Paleio spurios hos versus censenti non adsentior, cum et sententiae, quae optime cognosci possunt, non modo dignae Euripide mihi videantur sed ipsius eius poetae consuetudinem et artem mihi quidem prodant neque singula verba, quamvis ea quae exciderunt male ab emendatore restituta sint, vere ansam praebeant suspicionis. Ac priore quidem versu Agamemno aperte hoc dixit, *in eandem necessitatem atque ego adducta es,* i. e. tu quoque magnum iter facies. nimirum neque dubitari potest quin hic versus ad eum referendus sit qui proxime antecessit neque ita eum accipere licet quasi consulto ambigue dictus eam suspicionem Iphigeniae moveat ut in eundem in quem pater profecturus est locum se venturam esse putet. namque impedimento est illud ἥκεις, quod aperte perfectam actionem indicat. Et qui sequitur versus manifeste testatur recte Iphigeniam id intellexisse quod intellegere eam voluit

Agamemno. cogitat enim de profectione aliqua quam non cum patre se facturam esse tantum non certo scit. alioqui quomodo optare posset ut patrem comitaretur? gaudere se potius necessario diceret quod una cum eo profectura esset. scilicet, quod certissimum testimonium mihi praeberet verbi ἦν tempus imperfectum non adfero, propterea quod hoc quidem non ab Euripide profectum sed interpolatoris medelam esse facile quis diceret.

Eam igitur horum versuum rationem esse puto ut invita Minerva ab emendatore aliquo restituti sint postquam hic codicis locus laceratus fuerit ac mutilatus. itaque speciem hanc fuisse suspicor,

ΑΓ. εις ταυτο . . . . ηκεις πατρι.
ΙΦ. φευ
ειϑ .ν καλν. μοι σοι τ αγειν συμπλοι . . . .

prioris igitur versus reliquiae ipsae emendatorem moverunt ut tale quid Agamemnonem dixisse existimaret, *congruit tua sententia cum mea* (cf. Hec. 748.). nimirum hoc quidem loco istud ferri non posse grammaticus parum secum reputavit. similiter absurdi quid intulit alteri versui, quo rectissime reprehendit Hermannus inepte Iphigeniam curare quid patrem deceat. Ego quidem hunc fere in modum lacunas expleverim,

ΑΓ. εἰς ταὐτὸ[124]) καὶ σὺ τοῦ χρεὼν ἥκεις πατρί.
ΙΦ. φεῦ·
εἴϑ' ἐν καλῷ μοί σοί τ' ἄγειν σύμπλοιαν ἦν.

Cum v. 665., quem certe similia praebuisse supra demonstravi, cf. Tro. 684. alterum vero vix putem aliter se habuisse, si quidem hanc sententiam, quae et ipso versu accurate indicatur et necessario requiritur, non video quomodo facilius ac lenius quisquam revocet. hoc enim Iphigenia dicit: *utinam fieri posset*[125]) *ut ego et tu una proficisceremur.*

---

124) cf. Trach. 425. Soph. fr. inc. 771. (Elmsl. Med. 551.)
125) cf. Soph. El. 384. νῦν γὰρ ἐν καλῷ φρονεῖν, unde ἐν καλῷ quid proprie sit optime discitur. nam ἐν καλῷ ibi apparet non tam eam dici rem

Ceterum in eo qui sequitur versu neque Porsonus neque Nauckius, quorum alter ἔτ' ἔστι alter ἔπεστι coniecit, mihi satis fecerunt et admiror Hermannum, qui quod ipse invenerat, ἀλλ' ἔστι, postea[126]) Porsoni coniecturae postposuit. immo et plane supervacaneum est ἔτι neque particula ἀλλά hoc quidem loco carere possumus (verbi causa cf. v. 647.). at *ΑΛΛΕCΤΙ*, si litterarum formas respicimus, librorum illi *ΑΙΤΕΙCΤΙ* non minus simile est quam *ΕΤΕCΤΙ* vel *ΕΠΕCΤΙ.*

V. 678.

XXXV. — Quod Hermannus[127]) monuit, post vocabulum ἐντός duo hemistichia excidisse, qua in re adsentientem habuit Kirchhoffium, accuratius exposuit nuper Weilius, cuius adscribo verba. „comment supposer qu' Iphigénie ait amené ses compagnons dans le camp des Grecs? Elles ne sont pas mentionnées dans les vers prononcés par Clytémnestre au commencement de cette scène.“ His si adiecerimus ea quae sunt ὀφϑῆναι κόραις, quoniam necessario eam movent suspicionem ut virgines illas hoc quidem die Iphigeniam non vidisse putemus, de Argivis feminis quas Clytaemnestra secum duxerit nullo modo accipi posse[128]), non dubitabimus viris illis doctissimis oboedientes lacunae signum imponere. nam nulla relicta est explicandi ratio, quando quidem Agamemnonem ad suos rite accipiendos minime praeparatum esse reputantibus non licet nobis Aulidenses aliquas virgines convocatas esse statuere quae cum Iphigenia essent, et sensum recte intellexit quidem Brodaeus sed immerito ex hoc uno versu elicere conatus est, cum nemo unquam nisi diu meditatus philologus homo hunc versum adeo sententiarum tanquam praegnantem esse cognoscat ut ad

---

quae nunc idonea opportunitate data in tempore sit quam eam rem cuius efficiendae nondum dirempta est copia.
126) De interpp. I. in Aul. II. pag. 4.
127) ibid.
128) Falsus est Klotzius.

verba ὀφθῆναι κόραις ultro id quod contrarium est subaudiat, καὶ μὴ ἀνδράσιν. Hermannus igitur scribam a vocabulo ἐντός ad ἐκτός quoddam aberrasse suspicatus merito tale quid excidisse coniecit,

ὡς μετ᾽ ἀνδράσιν
μωμητὸν οἴκων ἐκτός κτλ.

V. 708.

XXXVI. — Parum caute olim Boeckhius[129]) versus 695 sq. non convenire dixit cum versibus 625 sq., unde eundem emendatorem quem in versibus 633.—690. potissimum grassatum esse antea coniecerat etiam in subsequentibus continuo multa, inprimis versus 695 sq. sive mutasse sive inseruisse collegit. quam argumentationem arripiens Matthiaeus permutata ratione non versus 695 sq. sed versus 625 sq. spurios esse suspicatus est. ibi utrumque paucis verbis refellit Hermannus de tragicorum more commonefaciens, quibus nunc unum hoc addere liceat, quod dignum visum est ut commemoretur. docet enim accuratissime versus 708. optime eum qui hunc versum scripsit versuum 625 sq. memorem fuisse. etsi enim hoc loco nondum Agamemno neque nomen Nereidis neque eius Peleique filium Achillem esse dixit, Clytaemnestra tamen quaerit:

Θέτις δ᾽ ἔθρεψεν ἢ πατὴρ Ἀχιλλέα;

unde necessario sequitur certe mater Achillis quae sit etiam antea Clytaemnestrae notum fuisse, iniuria autem offendi in versibus 625 sq. Quae cum ita sint, nihil opinor concedemus neque Geelio[130]), qui Thetidis nomen requirens v. 701. expulso vocabulo κόρην scripsit Νηρέως Θέτιν, neque Hermanno, qui haec proposuit[131]),

[129]) Gr. tr. pr. pag. 292.
[130]) ad Phoen. pag. 219.
[131]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 5.

Πηλεύς· ὃ δ᾽ ἔσχε Νηρέως κόρην Θέτιν,
cum notissimo illo Philetaeri versu,
Πηλεύς· ὁ Πηλεὺς δ᾽ ἐστὶν ὄνομα κεραμέως,
illa quidem pugnantia.

V. 741.

XXXVII. — Iniuria hunc versum eiecit Hermannus[132]), quamvis hac in re convenerit cum Monkio, adsentientes habuerit G. Dindorfium Weilium. omnia optime se habent. ita enim construendum est quasi sic poeta scripserit, ταῦτα δὲ ἃ χρὴ παρεῖναι ταῖς νυμφίοις παρθένοις, σὺ μὲν τὰ ἔξω, ἐγὼ δὲ τὰ ἐν δόμοις, πράσσωμεν. appositionis igitur quae dicitur exemplum habemus usitatissimae. etsi autem non incredibile est versum 741. sive interpretamentum aliquod sive addidamentum esse, tamen, si quidem argumentis id demonstrari non potest, abstinendum est a secludendo. quod autem insolenter dictum est νυμφίοισι παρθένοις, nullam id offensionem praebere mihi videtur, quoniam cur a substantivo νύμφη praeter usitata illa νυμφικός et νυμφίδιος derivari non possit adiectivum νύμφιος non video causam[133]). sic a substantivo παρθένος oriundum παρθενικός invenitur praeter παρθένιος, quorum quod hoc et optimis scriptoribus praelatum et illo multo usitatius est rationem videmus contrariam ei quae inter adiectiva νυμφικός et νύμφιος fuerit. denique vero potuit Clytaemnestra duo distinguere genera eorum negotiorum quibus parentes in locandis filiis fungerentur, cum προτέλεια quae dicebantur, quoniam aut Iunoni aut Dianae aut Parcis offerebantur[134]), non possent non extra domos in templis dearum fieri, quae vero opus erant cetera domi parari necesse esset a matre. quorum in numero hoc erat, ut facem maritalem patrii foci flamma accensam pompa nuptiali transferret recens mariti. quod vero

[132]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 5.
[133]) Ex Nonn. XLVII. 464. νύμφιος ὕμνος (scriptum fuerat νυμφίος citat Lobeckius in Parall. pag. 355. adn. 64.
[134]) vid. Poll. Onom. III. pag. 264 sq.

G. Dindorfius olim coniecit νυμφίοις καὶ παρθένοις, id aeque abiciendum est ac Nauckii νυμφίοις ἢ παρθένοις, si quidem sponsi rebus non solebant prospicere sponsae parentes.

VERS. 746.—748.

XXXVIII. — Quibus potissimum causis Monkius adductus sit ut spurios censeret hos tres versus certo scire non possum, quoniam Cantabrigiensi editione uti mihi non licebat. sed pro certo illud habeo, solo versu 748. effectum esse ut totus locus a viris doctis in suspicionem vocatus sit. nam duo quidem priores versus non video quid habeant inepti, tertius vero, qui summam continet sententiae, ineptissimus est. quid enim sibi vult hoc ἐξιστορήσων? divinare quidem hoc possumus. quaesiturus enim videtur Agamemno quae voluntas sit Dianae, certe aliud quid ne cogitari quidem potest. at quam absurde ipsa ea voluntas statim additur his verbis, ἐμοὶ δ᾽ οὐκ εὐτυχές. quid enim quaesito opus est in eis quae cognita habentur? sed haec ut admittamus satis absurda, nova quae nullo modo neglegi potest suspicio oritur oraculum illud reputantibus nobis de sacrificanda Iphigenia iam dudum a Calchante editum esse (vid. vers. 89.—92. 358 sq.), quod si secus factum esset, omnis haec tragoedia non haberet cur esset, indagatione autem divini consilii nunc quidem non opus esse. ineptissimum igitur est illud ἐξιστορήσων, quod repudiare debemus. et idem cadit in ea quae sunt μόχθον Ἑλλάδος, de quibus hoc monuisse satis erit, non molestum sed unice salutare Graecis Iphigeniae sacrificium esse.

Satis vero erit hunc unum versum secludere, qui non dubito quin explendae lacunae causa eodem modo factus sit quo vers. 464. 652. aliud enim est totam scribere sententiam, aliud ab alio incohatam absolvere. ipse autem poeta Agamemnonem hoc dicentem fecisse videtur, una cum Calchante curare ac praeparare se velle quamvis sibi tristissima ea quae ut fierent placuisset deae.

DE STASIMO SECUNDO.

(vers. 751.—800.)

XXXIX. Vers. 764.—767. — Versus 764 sq. quales nunc in libris sunt apparet non ab Euripide scriptos esse, quoniam non modo glyconei versus sed ne logaoedici quidem sunt nulloque modo respondere possunt eis versibus qui eundem locum tenent in antistropha.

Accurate enim mihi Graecorum poetarum omnium eos locos qui numeris logaoedicis compositi sunt servato temporum quibus poetarum quisque vixit ordine pertractanti apparuit de iure apud Rossbachium et Westphalium (doctr. metr. vol. III. pag. 478. ed. I.) in summis huius metri legibus hanc proponi, ne inter duos dactylicos pedes eiusdem coli trochaeus quis intercedat. postquam autem eurythmiae, quam qui infitiantur iniuriae optime ac facillime coarguuntur ab Aristophane [135]), tam caute quam diligenter rationes pervestigavi merito huius legis eo usque promovere mihi videor fines ut fortasse unico excepto Phrygis illo cantico (Or. 1369.—1502.) religiose eam observatam esse dicam ab omnibus poetis in quolibet loco. sed hac de re fusius et accuratius quaerendi alius erit locus, hic breviter de glyconeis versibus agendum est, quos ad ceteros logaoedicos versus iudicandos magno momento esse apparet.

Notum est novam glyconei formam, alienam illam quidem a vera huius metri natura, ab Euripide usurpatam fuisse, ⏒ ⏑̄ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – vel – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑̄ – (cf. huius fabulae versus 791. 1093. vers. 169. = 190. vers. 759. = 770.), quae non fugit Aristophanem, cf. Ran. 1323. 1353. (κουφοτάταις πτερύγων ἀκμαῖς) Dind. Huius igitur formae tertia specie Euripides usus videtur vers. 764. 765. al. [136]). at merito mirabimur

---

[135]) Pauca carmina adferam. Ach. 1150. — 1161. = 1162. — 1173. Ran. 675. — 685. = 706. — 716. Pac. 775. — 796. = 797. — 818. Thesm. 312.—330. Eccl. 571.—580.

[136]) Unum locum Sophoclis ambiguum si excipias, apud solum Euripidem reperitur.

Aristophanem quod in florilegio illo logaoedorum Euripideorum, cum alia notaverit multo minus reprehensione digna, vitiosi autem fere nihil praetermiserit, hanc formam neglexit vitiosarum vitiosissimam. simul autem, quoniam acerrimus hic tacet Euripidis accusator, certe facere non poterimus quin in aliquam dubitationem eam vocemus, quare accuratius inspiciemus in eos qui eam praebent locos omnes.

Et magni profecto momenti hoc est, quod ne semel quidem haec forma occurrit sibi respondens sed ubicunque in stropha aut antistropha posita est glyconeum respondentem habet omni suspicione vacuum, ita ut nusquam quis ambigere possit utri versui medicina adhibenda sit. quos locos praeter eos versus de quibus haec quaestio est, vers. 764. 765., appono omnes, huius fabulae vers. 547. 556. Rhes. 910. non pertinet huc opinor Bacch. 410., quem versum accurate respondere puto antistrophico versui 425.[137]. quod vero responsionis illius quam infitias eo fortasse adferat aliquis testimonium quamvis unicum, huius fabulae versus 168. et 189., quorum schema hoc est,

– ⏑⏑ ⏑⏑⏑ – ⏑⏑ –,

sine dubio hoc modo singulae syllabae distribuendae sunt,

–́ ⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ –́ ⏑⏑ –́,

quam rationem satis multa commendant exempla, velut Pind. Pyth. XI. 9.

ὄφρα Θέμιν ἱερὰν Πυθῶ(να),
41. Μοῖσα, τὸ δὲ τεόν, εἰ μισθῷ,
57. καλλίονα θάνατον σχήσει.

coll. vers. 4. 20. 25. 36. 52., Iph. Aul. 222., Androm. 1032. coll. 1042., Bacch. 865. coll. 885.

Supersunt qui vitiosam illam glyconei formam perhibent loci quinque sive in epodis sive in monodiis positi. quorum e numero removendus est Or. 836., ubi Seidlerum secutae editiones *Εὐμενίσιν θήραμα φόνῳ* habent repudiato verissimo illo

---

[137]) Huius versus mentionem faciam ad vers. 1041.

Εὐμενίσι librorum. et *Εὐμενίσι θήραμα φόνῳ* si restituimus, versum habemus et Euripidi usitatissimum neque ab Aristophane in clarissimo illo cantico praetermissum, cf. Ran. 1316. coll. 1315. hanc formam in eodem Orestis carmine v. 814. praebet et qui ei respondet v. 826. simile quid in nomine proprio invenimus apud Pindarum, Ol. XI. 105. *ἀναιδέα Γανυμήδει*, cf. vers. 21. 42. 63. 84. Nunc igitur quattuor tantum exempla relicta sunt, e quibus duorum, nostrae fabulae dico vers. 574. 576., quoniam et in loco foede corrupto leguntur neque antistrophica responsione agnoscuntur, cuius supra notavi vestigia, ratio habenda est nulla. cetera extant Or. v. 841. et Phil. v. 1213. quorum hoc,

ὦ πόλις ὦ πόλις πατρία,

dubium est propter ancipitem syllabam *πατρ-*, per quam et sic,

–́⏑⏑ –́⏑ –́⏑⏑ –́,

et sic,

–́⏑⏑ –́⏑ –́ –́⏑ –́,

syllabas distribuere licet, nisi forte quis hunc versum malit dochmiacum esse,

–⏑́⏑ –́⏑ –́⏑⏑ –́

vel

–⏑́⏑ –́⏑–́ –́⏑ –́,

qua in re me habebit adstipulatorem. ceterum hoc monere non supersedeo, G. Dindorfium nescio quam ob causam alterum *πόλις* eiecisse. quidcunque autem de loco illo Sophocleo statuetur, concedendum erit hoc, nullam eius versus haberi posse rationem si quis glyconei illa forma num spuria sit an genuina diiudicaturus sit.

Tota igitur res in Orestis versu 841. sita videatur, quod nescio an ipsum satis sit ad formam illam abiciendam. nam haec computes quaeso, nullam illius mentionem factam esse ab Aristophane, nullam a metricis veteribus, nusquam simul in strophico et in antistrophico versu eam adhibitam esse, denique omnino unum eam praebere locum prorsus suspicione carentem: num dubites mecum vel hunc locum ut manum interpolatoris expertum emendare? talis autem homo opinor, cum vocabuli *χρυσεοπηνήτων* primam syllabam longam esse putaret, proximi versus formam ipsam illam vitiosam esse (–́⏑⏑ –́ – –́⏑⏑ –́) sibi

persuasit, quam ut item alter versus exprimeret, quem *μαστὸν ὑπερτέλλοντ᾽ εἰσιδών* vel *μαστὸν ὑπερτέλλοντ᾽ ἰδών* fuisse suspicor, corrigendo abusus est.

Nostro quidem loco spuriam istam formam ex utroque versu removit Hermannus[138]) *Φρύγες, ὅταν* et *ἅλιος εὐπρῴρ.* corrigens, qua in re nuper sectatorem nactus est Weilium. at et maiorem suspicionem vitium mihi movet in continuatis duobus versibus iteratum quam quod mutationibus minime litterarum similitudine commendatis tollatur et quas voces ab Euripide scriptas esse statuunt, eae usitatiores erant qualibet aetate quam quae glossatoris interpretationibus indigerent. Sed alia occurrunt non minus suspecta. quae enim accurate iam stropha descripsit, Graecorum exercitum navibus armisque instructum in Troianam terram venturum esse (vers. 751.—756.), eadem tantum non eisdem verbis nunc decantat antistropha versibus 764.—767., ipso eo loco qui versus illos habet ob numerorum vitium suspectos. ista autem mire repetita tanto molestiora mihi videntur quanto minus ei qui accuratius versus 762 sq. consideraverit expectata erunt. qui enim Troianos modo in vallo stantes viderit impetum prohibituros, magnopere is mirabitur Graecos ne egressos quidem e navibus in eo esse ut littori appellant. adde his tres dativos intra trium versiculorum spatium uni verbo iunctos qui diverso quisque modo referendi sunt, *εὐπρῴροισι πλάταις εἰρεσίᾳ πελάζῃ Σιμουντίοις ὀχετοῖς*: quid habes quo defendas hunc locum? Ne dicas exquisita singula quaeque verba prodere ingenium poeticum. immo concedo omnia exquisita esse, scilicet ex aliis poetarum locis. aegre enim eo modo hos versus compositos esse videmus ut aliunde sumpta et propositum aliquod exemplum imitata non inter se coniungerentur sed unum quodque iuxta alterum ponerentur, unde impedita illa oratio orta est. sic *χάλκασπις* saepissime occurrit apud omnes poetas, *χάλκασπις Ἄρης* apud Pindarum Isthm. VI. 25., *εὐπρῴροισι πλάταις* autem notissimas illas *εὐπρύμνους*

[138]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 5.

πλάτας redolet, similiter atque hoc loco coniunctum *εἰρεσία* undique obviam fit, neque inusitatum fuisse videtur *Σιμούντιοι ὀχετοί*, cf. Or. 809. sufficient haec de poetico sermone qualem quilibet homo fabricari possit.

Itaque non dubito hos quidem versus emendatori tribuere qui lacunam de suo expleverit. nimirum versus 764.—767. dico. nam de eis qui statim secuntur, vers. 768.—772., nulla ne cogitari quidem potest suspicio. et quoniam idem statuendum est de versibus 762 sq., prorsus mutilatum fuisse codicem in eo tantum loco putare cogimur qui versus 764.—767. continuit solisque in his restituendis quattuor versibus versatum esse emendatorem. Idem igitur hoc loco ac vers. 665 sq. accidit neque tamen de eodem cogimur cogitare emendatore.

XL. — Euripidem igitur in eo loco quem nunc male explent emendatoris versus suspicor exercitum Graecorum e navibus egressum finxisse urbem obsidentem atque oppugnantem. et tale quid manifesto desideravit is qui multis annis post illum grammaticum epodo eos praefixit versus qui antistropham excipiunt, quanquam hoc addidisse satis non habuit sed, qui mos est talium hominum, non nisi in extremo narrato expeditionis fine acquievit. Fraudem primus detexit Hartungus, sed nimium quid opinor in eo offendit quod ea praeoccuparet falsarius quae altera epodi parte continentur. nam quid impedit quominus chorum postquam vers. 776.—783. futurarum tempestatum praesagierit extrema nunc (vers. 783 sqq.) ad ea reverti statuamus quae minus ab hoc tempore remota sint, ad Troadum quae oppugnantes viderint Graecos tristes divinationes? quanquam eam rationem lubenter concedo molestam esse. At multo molestior neque omnino ferendus mihi quidem videtur totius loci sermo miser ac prorsus balbutiens, dignus ille quidem et inani ac rudi ista rerum descriptione et exordio ea quae modo narrata sunt plane ita excipiente quasi novae alicuius urbis mentio facienda sit.

Quod extremo loco reprehendi discrepare me indicat cum Kirchhoffio, qui exordium illud (vers. 773.—775.) Euripidi

non abiudicavit, quia opinor aggredi Graecos desideravit. velim viro doctissimo me persuasisse ut nunc in antistropha haec locum habuisse putet.

De sermone vix magis est quod dicam quam de describendi ratione, quam rectius enumerationem dicas. prae ceteris autem haec notaverim, voces *κόρα* et *πολύκλαυτος* per quattuor versiculos bis positas esse, et, id quod arte cum illo cohaeret, bis deinceps eadem nunc de Hecuba eiusque filiabus nunc de Helena praedicari.

Cum G. Dindorfio igitur Hartungum secutus inferioris aetatis interpolatori haec tribuo, nec tamen ingeniose factae illius coniecturae qua strophae et antistrophae numeros ab interpolatore repetitos esse persuadebat V. Fritzchius[139]) rationem habeo, quoniam et mutare cogeremur quae non sana esse nec metrum docet nec sententia et addere quae minime desideramus. versum autem 777., in quo explicando frustra olim[140]) laboravit G. Hermannus, ne ab interpolatore quidem profectum sed ex librarii alicuius neglegentia ortum puto. recentioris enim aetatis homo ut inter urbem Troianam et arcem distingui pudetur *πόλισμα Τροίας*, arcem Troiae, quae scriba postea in poetae verba recepit. et ne quis rariore illa voce glossatorem usum esse miretur, ipso hoc *πόλισμα* opus erat ad arcem significandam, quae bis minus distincte *πόλις* appellata videbatur[141]).

[139]) in Leutschii Philol. a. 1857. (De Iphigeniae A. choris, pag. 67 sqq.) pag. 81.

[140]) Aliter iudicavit et restituit in eius libelli quem postea de Iph. Aul. interpolationibus scripsit alterum pag. 5.

[141]) Nimirum vocabulum *πόλισμα*, quantum video, fere sive oppidum moenibus cinctum sive id significasse videtur quod Atheniensibus *πόλις* erat ubi vocabulum *ἄστυ* sive diserte oppositum erat sive cogitando opponebatur. sic Med. 771. accurate inter Athenarum urbem distinguitur et arcem, quae *πόλισμα* vocatur, Dicaearchus autem ap. Athen. 13. pag. 594 F ab Athenis *τὸ πόλισμα* seiungit, *οὗ ἂν ᾖ τὸ πρῶτον εἰς Ἀθήνας ἀφορώμενος νεὼς καὶ τὸ πόλισμα.* similiter Aeschylus Prom. 421. *ὑψίκρημνον πόλισμα Καυκάσου*, cf. Sept. 230. urbs autem vallo munita moenibusque cincta Sept. 63. 112. Phil. 1424. I. A. 1500. Av. 553. Hdt. I. 57. 98. 178.

itaque genuina interpolatoris verba haec fuisse conicio,

λαιμοτόμους κεφαλὰς σπάσας,
πέρσας κατάκρας πόλιν.

XLI. — Postquam igitur classem ad litus Troianum appulsum iri militesque navibus egressuros esse stropha, circumdatum atque oppugnatum iri urbem antistropha praedixit, epodo nunc chori mulieres apte addunt quid obsessae urbis feminae sensurae sint. haec ut arte cohaerent apteque procedunt ita epodus omnibus ex partibus Euripide digna videtur, et profecto de iure factum est ut qui solus eam ab eodem homine qui vers. 773.—783. fabricatus est profectam putaverat, G. Dindorfius, nuper Euripidi eam rursus concesserit.

Optime a viris doctis huic loco prospectum est, ita ut nunc quidem omnibus ex partibus restitutus videatur. tamen sunt de quibus dubitetur. mihi, ut breviter dicam quid sentiam quaque de re, adscribere liceat totam qualem constituerim stropham.

μήτ᾽ ἐμοὶ
μήτ᾽ ἐμοῖσι τέκνων τέκνοις
ἐλπὶς ἅδε ποτ᾽ ἔλθοι,
οἵαν αἱ πολύχρυσοι
Λυδαὶ καὶ Φρυγῶν ἄλοχοι
στήσουσι παρ᾽ ἱστοῖς,
μυθεῦσαι τάδ᾽ ἐς ἀλλήλας·
τίς ἄρα μ᾽ εὐπλοκάμου κόμας
ῥῦμα δακρυόεν τανύσας
πατρίδος ὀλομένας ἀπολωτιεῖ;
διὰ σέ, τὰν κύκνου δολιχαύχενος γονάν,
εἰ δὴ φάτις ἐτήτυμος ὡς ἔτεκεν
Λήδα σ᾽, ὄρνιθι πταμένῳ
Διὸς ὅτ᾽ ἀλλάχθη δέμας,

VI. 6. ex quibus hoc mihi sequi videtur, vocabulum *πόλισμα* eam de qua dixi notionem adeo usitatam habuisse ut hanc quidem in partem quem dicimus termini proprii vim nactum esset. et confirmat hoc Pausanias IV. 5, 9. IV. 1, 4. V. 21, 9. V. 22, 3. VIII. 28, 4.

εἴτ᾽ ἐν δέλτοις Πιερίσιν
μῦθοι τάδ᾽ ἐς ἀνθρώπους
ἤνεγκαν παρὰ καιρὸν ἄλλως.

v. 783. Neque excidisse aliquid neque verba μήτ᾽ ἐμοί eicienda neque versui 784. ea adscribenda puto. videtur enim haec dipodia respondere eiusdem periodi versui 788.

vers. 788 sq. Quod Fritszchius[142]) coniecit a G. Dindorfio nuper receptum,

στήσασαι τάδ᾽ ἐς ἀλλήλας
μυθεύσουσι παρ᾽ ἱστοῖς,

ut removeretur μυθεῦσαι, mihi quidem vigorem poeticum plane corrumpere videtur. et prorsus abiciendum est, quoniam μυθεῦσαι si cui displicet, cum Matthiaeo scribendum est μυθεύουσαι, quod a numeris huius loci minime alienum est.

στήσουσι ab Erfurdtio ad O. R. 699. defensum quamvis nunc ab omnibus probatum videatur, mihi quidem iterum iterumque dubitationes excitat. namque iram vel vocem condere optime aliquis dicitur. nam vere agit aliquid, quoniam tam irae quam editae alicuius vocis effectus non potest non sentiri ab altero. contra non condit qui concipit timorem, quia patitur timorem illum, non efficit. itaque timide, quoniam linguam non semper logici partes agere haud nescio, illud στήσουσι librario tribuens conieci στένουσι. futuro enim tempore h. l. non opus esse lubenter concedet opinor quicunque reputaverit etiam hoc temporis flentes sibique timentes mulieres Troianas fingi posse. σιήσουσι autem inde ortum videtur quod qui locum non prorsus perspexit librarius litterarum similitudine adductus est ut, cum iuxta legeret ἱστοῖς cogitaret de notissimo illo στήσασθαι ἱστόν·

vers. 790 sq. Perinde ac Kirchhoffius et G. Dindorfius non potui non recipere quam Hermannus[143]) commendavit Dobraei coniecturam, εὐπλοκάμου pro εὐπλοκάμους, si quidem una littera abiecta qui modo deformis fuit pulcher-

142) l. l. pag. 80. 82.
143) De interpp. I. in A. II. pag. 5.

rimus factus est sensus poeticique vigoris plenus. sententia autem nunc demum expedita procedit, cum versus 791. nunc quidem arte cohaereat cum his, εὐπλοκάμου κόμας. nimirum unius verbi eiusque adverbii vice is versus fungitur ex nota illa poetarum consuetudine, non oboediendum est Hermanno, qui τανύσας ut glossatoris eiecit. at debebat oboedire Fritzschius, qui quod egregie Hermannus coniecit, ῥῦμα, repudians librorum retinuit ἔρυμα, nullo modo illud quidem ferendum, unde hunc elicuit sensum poeta hercle dignissimum: *quis mihi comae munimentum*, i. e. *quis mihi reticulum patria intereunte deripiet?*[144]) nolo hoc quaerere, quomodo reticulum istud δακρυόεν dici possit, sed quaero qui tandem factum sit ut tale quid pro genuinis poetae verbis habeat G. Dindorfius.

Monkii ὀλομένας sicut Hermannus Fritzschius G. Dindorfius aptius esse putavi quam quod Erfurdtius coniecit, ὀλλυμένας.

v. 793. Librorum τὰν—γόνον, non comparandum illud quidem cum eis quae supra dixi, νεανίαι ἀγκάλαι et τύχη σωτήρ, mutavi in τὰν γονάν, quod numeri quoque efficit ut melius perspiciantur. certe immerito G. Dindorfius nostrorum librorum scriptura abusus est Thesm. 116 sqq., ubi quod libri praebent σεμνὸν γόνον Λατοῦς Ἄρτεμιν postposuit suo σεμνὰν γόνον κτλ.

vers. 794 sqq. Metri causa cum Hermanno ἔτυμος in ἐτήτυμος mutavi. deinde recte pro ἔτυχεν viri docti Musgravium secuti, qui σ᾽ ἔτεκε coniecit, scripserunt ἔτεκεν, post vocem Λήδα illud σ᾽ posuerunt Elmsleius et Nauckius.

versui 797. vocem εἴτ᾽ non adscripsi propterea quod vocabulum δέμας periodo ideoque metro clausulam imponere ego quidem pro certissimo habeo.

VERS. 804.—818.

XLII. — Particulam γάρ quae inest versui 804., quoniam

144) l. l. pag. 82.

in eis quae proxime antecesserunt neque est quo illa referatur neque investigabit quisquam apti aliquid unde cogitando id suppleatur, propter ipsam eam causam ex usitatissima illa Graecorum consuetudine, cuius exemplum praebet Med. 122., ad eorum aliquid referendam esse suspicabimur quae secuntur. et si quae relictae sunt dubitationes prorsus tolluntur, cum quae prolepticum illud γάρ excipere solet particula οὖν hic quoque sequatur v. 810. optime igitur procedit sententia omniaque tam arte cohaerent ut hanc struendi rationem quin vere poeta secutus sit non possit dubitari. hoc enim aperte dicit Achilles: *quoniam eorum qui huc venerunt aliter cuique se habent res, et sua quisque ipse agat necesse est et ego solas meas res geram.* Haec ratio tam manifeste est vera ut valde mirer Weilium, qui solus Hermanni amplexus est rationem, qua interrogative accipitur v. 804., unde in contrarium convertitur sententia. nimirum nunc eandem Achilles dicit condicionem esse quicunque huc venerint Graecorum. sed γάρ cum non possit ne nunc quidem non ad ea referri quae versibus 810 sq. continentur — an aliud quid habes quo merito referatur? — hanc habemus sententiam, quae secum ipsa pugnat: *quoniam eadem est omnium condicio, meas res agam, alius ipse dicat quid sibi velit.*

Quae intercedunt inter versum 804. et versus 810 sq., ea apparet in hunc finem additá esse ut quomodo illud οὐκ ἐξ ἴσου intellegendum sit cognoscatur. duo enim accurate inter se distinguuntur condicionum genera, et ita quidem ut non liceat dubitare quin omnino non sit tertium genus. alterum caelibum est qui vacuas reliquerint domos, alterum eorum quibus uxores liberique domi sint. quorum ad generum alterutrum quanquam necessario referri posse debet quae a v. 812. exponitur condicio Achillis, tamen nullo modo unquam hunc conexum efficias. quoniam enim Achilles, qui uxorem nondum duxit, ad id quod priore loco dictum est Graecorum genus referendus esset, primum hoc statuere cogeremur, Peleum, quem tum temporis minime senem fuisse moneo, nihili valuisse Achilli, quippe qui vacuam domum reliquisse sibi videretur. deinde, si quidem quod,

ut quam celerrime Troia deleretur Graecique domum reverterentur, Agamemnonem ne diutius moraretur unus ex eis quorum domus vacua dicitur impulsurus esset non nisi ita intellegi posset ut vacua domus utpote non satis contra hostes munita domino haud facile carere visa esse putaretur, duo illa quae supra distincta sunt condicionum genera necessario eo modo accipienda essent ut caelibes quidem vacuas atque inermes domos reliquisse viderentur, bene autem actum videretur cum alteris, quippe quorum rebus uxores prospicerent liberique. quae vides et quam ipsa absurda sint, praesertim cum de regum domibus ipsisque regnis agatur, et quam inepte Pelei minorem fingant auctoritatem quam feminarum atque infantium. Accuratissime igitur patet versus 805.—809. et versus 812.—818. inter se pugnare, etiamsi vis inferatur sententiis.

Vim autem eis quae modo temptavimus vere sententiis inferri cum ipsis illis demonstravi temptaminibus tum inde accurate intellegetur quod id quod nunc prius est membrum, vacuas et inermes relictas esse domos, si vera esset illa de qua supra expositum est ratio, posterioris membri locum obtinere necesse esset, id quod tam logices quam rhetorices legibus postulari ea docent quae secuntur, οὕτω δεινὸς ἐμπέπτωκ᾽ ἔρως κτλ., sine dubio illa quidem ad haec referenda, οἱ μὲν — οἴκους ἐρήμους ἐκλιπόντες, quippe quibus id contineretur quod et gravius et solum aptum esset ad miri illius amoris vim ostendendam. ne longus sim: quis, cui sana est mens, orationem suam sic disponat? *venimus huc alteri prorsus vacuas praesidio omnibusque periculis obnoxias, alteri tutas a periculis inque nostrorum praesidio domos relinquentes: tam mira omnes adfecti sumus bellandi cupiditate.*

Restat igitur ut uter locus secludendus sit quaeratur. sunt enim fortasse quibus quod manifesto quae versibus 812 sqq. continentur optime in Achillem quadrant, alter locus primo adspectu in dubio est num apte adsit non sufficiat ad causam diiudicandam: quare comparato posteriore loco accuratius inquirendum est in locum priorem. Qui autem priorem locum

posteriori praeferre non dubitabunt, nisi forte eam habebunt causam quod posteriori prior antecedat, nescio quid aliud ad rationem suam probandam adferre possint nisi quod caelebs et liberis carens Achilles quodam modo in numero eorum haberi possit qui versibus 805 sq. describuntur. quod argumentum opinor ita comparatum esse ut nullo modo unquam aptum sit ad demonstrandum id de quo quaeritur, quo nomine posteriori prior praestet. ipsis igitur nobis cur praeferendus sit disquirendum erit, ideoque primum hoc monere licebit, de quo nemo dubitavit, versibus 805 sqq., quippe quibus quomodo eorum qui Troiam profecturi sunt non eadem omnium condicio sit accuratius exponatur, perinde ac versibus 812 sqq. id agi ut id quod Achilles cum Agamemnone transacturus est auditoribus indicetur. deinde quod ita indicatur quomodo interpretandum sit quaerendum erit. quid autem aliud Achilles agere videatur quam ut vacuam sibi domum relictam esse, expeditionem autem, ut quam brevissimo tempore domum revertatur, sibi maturandam esse moneat? at in ipsas illas quas supra tetigi caveas quaeso incidas ineptias. quid igitur nunc? interpretationem ipsis verbis probatam quae ferri possit non magis facile quam tolerabilem interpretationem quae verbis probetur reperies. Sed quas varias excogitare possumus versus 805 sqq. interpretandi rationes enumerare cavens quae continentur versibus 812 sqq., ea moneo neque quomodo accipienda sint dubitari posse et sententiam praebere qua nihil cogitari potest aptius, si quidem Graecis morae impatientissimis factis rem in discrimen adductam esse optime spectatoribus ante oculos ponitur.

His autem reputatis ut versus 812 sqq. spurios, versus 805 sqq. genuinos habeam nunquam mihi persuadere potero, sed eiectis versibus 805.—809., quos ut verba οὐκ ἐξ ἴσου explicaret quam facile interpolator aliquis versus 804. cum versu 810. conexum non perspiciens inculcare potuerit non est quod moneam, in ea perseverabo sententia ut versui 804. nulla fere mora facta ea putem adiungenda esse quae versu 810. continentur et versibus sequentibus.

Denique duabus de rebus restat ut moneam. primum enim quin post versum 812. in codice Palatino merito lacuna indicetur ne mihi quidem dubium videtur, si quidem quam causam urgendi Myrmidones habeant non sine admiratione quadam desideratur. deinde autem in versu 810., quoniam mihi quidem displicet atque incertissima videtur quae nunc obtinet huius versus interpretatio, pro vocabulo *χρεών*, quippe quod ex parte quidem voce *θεῶν* in antecedentis versus fine posita attractum videatur, posuerim *χρέος*, quod vides quam et ipsum aptissimum sit et optime concinat cum verbo quod sequitur *χρῄζων*.

His igitur peractis non dubito sic hunc locum constituere.

οὐκ ἐξ ἴσου γὰρ μένομεν Εὐρίπου πέλας·
τοὐμὸν μὲν οὖν δίκαιον ἐμὲ λέγειν χρέος,
ἄλλος δ᾽ ὁ χρῄζων αὐτὸς ὑπὲρ αὑτοῦ φράσει.
γῆν γὰρ λιπὼν Φάρσαλον ἠδὲ Πηλέα

* * *

μένω ἐπὶ λεπταῖς ταισίδ᾽ Εὐρίπου πνοαῖς
κτλ.

Pridie haec scripsi quam ex novissima poetarum scenicorum editione item in huius orationis locis inter se pugnantibus G. Dindorfio adsentiente offendisse intellexi Britannum aliquem anonymum [145]). quem etsi quae ego monui aliqua quidem ex parte probasse vehementer gaudeo, tamen in versuum 810.—818. abiectionem incidisse non possum satis mirari.

V. 865.

XLIII. — Quamvis curam huic loco adhibuerint plerique editorum atque interpretum, nihil tamen profecerunt et ne sententiam quidem genuinam restituisse videntur. quid enim Achilles hoc praedicat, ad futurum tempus ea spectare quae

---

[145]) Mus. class. Londin. vol. II. pag. 106. Dedi haec Dindorfio auctore, quoniam musei illius non patebant mihi volumina quattuor priora.

senex dicturus est? quanquam vel hoc patienter ferrem, si apte dictum esset. an apte dictum est Marklandi *ὁ λόγος εἰς μέλλοντ' ἀνοίσει χρόνον*, vel Reiskii *εἰς μέλλοντα λεύσσει χρόνον*, vel Hartungi *εἰς μέλλοντ' ἀνωθεῖ χρόνον*? Hermannus autem quae coniecit, *ὁ λόγος εἰς μέλλοντ' ἂν ὡς δὴ χρόνον* et *ὁ λόγος ἐς μέλλοντ' ἂν ὡς εἰ χρόνον*, ne ferri quidem posse existimo. *ὁ λόγος εἰς μέλλοντ' ὀνήσει χρόνον* proposuit Boeckhius[146]), recepit nuper Weilius. quorum alter vix secum reputaverit ne cognita quidem habere Achillem quae servus aperturus est, alter tale quid male ex Achillis persona dici intellegens, ne abicere cogeretur quam sibi elegerat coniecturam, praefixit senis nomen, unde factum est ut ante hunc versum unius versus defectum indicaverit vel invitus. attamen versum 864. aptissime versui 865. excipi quis non videt? et quem hoc fugit, ne ea quidem quae Weilius in versu 865. scripta fuisse putat[147]) apte ex senis persona dici, etiamsi hoc ferremus, quod haec verba multo tranquillioris sunt animi quam quae modo v. 864. senex exclamavit? tanta igitur moliri licet ad coniecturam neque aptam tuendam neque speciosam? Mihi, quoniam neque sententiam quam hoc versu exprimi voluisse Euripidem putant neque quas restituendi excogitarunt rationes tueri posse mihi visus sum, hoc in mentem venit num fortasse poeta scripserit, vel si quid huius quidem argumenti excogitari possit librorum scripturae similius,

ὅδε λόγος μέλλων ἀναλοῖ χρόνον· ἔχει δ' ὄγκον τινά.

haec autem, quamvis aptissime Clytaemnestrae illud sequatur *δεξιᾶς ἕκατι μὴ μέλλ'*, tamen vides quam facile grammaticus, postquam litterae evanuerint aut levius aliquod vitium irrepserit, de futuro tempore accipere potuerit.

---

[146]) Simillimo sensu Monkius *μέλλοντα σώσει.*

[147]) *ὄκνον* quoque pro *ὄγκον* scripsit cum Hermanno.

VERS. 880 sq.

XLIV. — Prorsus redundare videntur hi versus, si quidem et quam in terram et quem in finem expeditio fiat vix nesciat Agamemnonis uxor, Helenae soror, neque invitos et coactos Graecos hic sedere vix ulla Graecarum mulierum nescire putanda est. sola igitur quam in stichomythia sibi sumebat Euripides licentia paullulum hos versus tuetur.

V. 884.

XLV. — Neque quod libri tradunt, *ὁ δὲ γάμος τίν' εἶχε πρόφασιν ἥ μ' ἐκόμισεν* (sic Marklandus pro *ἐκόμισ'*) *ἐκ δόμων;* neque tam sententia quam scriptura lenissime mutata quod Bothius scripsit, *ὁ δὲ γάμος τίν' εἶχε πρόφ. ᾗ κτλ.*, eum praebet sensum qui necessario requiritur. ante Bothium melius Musgravius coniecit *ὁ δὲ γάμος — ᾧ κτλ.*, quod postea superavit Monkius, qui *ὅς* scribi iussit. Nec tamen haec satis placent. apparet enim poetam haec dixisse putari: nuptias autem quibus huc me deduxit simulandi quae Agamemnoni erat causa (*πρόφασις*)? at profecto minus obscure opinor hanc sententiam Euripides expressisset, quamvis, solam sententiam si spectas, nihil reprehendas. ego quidem non dubito quin poeta sic scripserit,

ὃ δὲ γάμον τόνδ' εἶχε πρόφασιν ἥ μ' ἐκόμισεν ἐκ δόμων;[148])

Clytaemnestra igitur nunc quidem accurate, ut decet, perspicit quae Agamemno machinatus est, quod ut indicet et ipsa absolvat quae exponere coepit senex, interrogando ***nuptiae autem illi***, inquit, ***praetextui fuerunt qui me domo deduxit***? et senex haec

---

[148]) Gomperzii (Mus. Rh. vol. XI. a. 1857. pag. 471.) *ὁ δὲ γάμος παρεῖχε* recepissem, nisi unde aut sententia illa librarios fefellisset aut *παρ* pro *τιν* accipi potuisset parum intellexissem. *ὃ δέ* illud ad patrem ex improviso relatum scribam fefellit, praesertim cum neglegentius, ut videtur, *ToIVΔEIXE* scriptum fuerit.

confirmans addit: *sane. nimirum ut lubens filiam duceres Achilli iunctura.* ceterum ὃ δέ ne male interrumpere videatur sententiarum cohaerentiam neve id eminere putes quod minus deceat, cf. Andr. 1114. Or. 730. —

In versu 888. egregie nuperrime O. Hense[149]) quae Palatinus servavit vestigia secutus δακρύων νάματ' οὐκέτι στέγω restituit. nolui haec praetermittere.

V. 889.

XLVI. — Mirandum est quod multi in hoc versu offenderunt. Ac particulam quidem εἴπερ minime ab hoc loco alienam esse vix monerem, nisi nuper illa denuo in suspicionem vocata esset. tamen satis multi sunt loci quibus quod legitur εἴπερ vel εἰ δή vel ipsum εἰ prorsus idem est quod latine *si quidem*. sic εἰ Ion. 1302.,

φθονεῖς ἄπαις οὖσ', εἰ πατὴρ ἐξεῦρέ με,

nostrae fabulae v. 1484., εἰ χρεών, *quoniam oportet*. εἰ δή H. F. 859.,

εἰ δὲ δή μ' Ἥρᾳ θ' ὑπουργεῖν σοί τ' ἀναγκαίως ἔχει,

. . . .

εἶμι γ',

ubi longe abest Lyssa a condicionibus ferendis. εἰ — γέ, O. C. 260. eodem igitur modo particulam εἴπερ usurpari exemplis testando supersedere possim, sed ex Agamemnone adfero quod initio occurrit, v. 29.,

ὀλολυγμὸν εὐφημοῦντα τῇδε λαμπάδι
ἐπορθιάζειν, εἴπερ Ἰλίου πόλις
ἑάλωκεν, ὡς ὁ φρυκτὸς ἀγγέλλων πρέπει,

ex Euripidis Supplicibus versus 913 sqq.,

ἡ δ' εὐανδρία
διδακτός, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ' ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.

[149]) cf. Leutschii Philol. vol. XXVII. fasc. 3. a. 1868.

Deinde autem ea quae sunt ἀλγεινὸν τὸ τέκνων στερομένην δακρυρροεῖν non video quid habeant molesti. *acerbum est liberis privatam flere* aperte dicitur pro his: acerbum est matri mortem flere liberorum. respicit autem tota sententia accurate id quod modo Clytaemnestra dixit, non posse se lacrimas tenere, cui adsentiens senex *neque id mirandum,* inquit, *si quidem acerbus ideoque difficilis ad retinendum matri est qui liberorum morte movetur fletus.*

V. 899.

XLVII. — Postquam v. 897. Achilles Clytaemnestrae respondens optime utriusque ratione habita et illi se videre dixit quantum malum acciderit neque ipsi quae illata sint leviter se ferre, non est quod apte addat adulescens. quare prorsus supervacaneus putandus esset v. 899., nisi quae accedunt vituperationes spurium eum esse convincerent. Primo autem loco adfero quod defendere nemo conabitur, tantum non eadem verba, τὸ δ' ἐμὸν οὐ φαύλως φέρω et κοὐχ ἁπλῶς οὕτω φέρω, in fine utriusque versus legi, ita ut rusticitatis atque inertiae crimen Achilles fugere non posset, quod necessario opprobrio esset Euripidi, nisi manifeste proderet artem interpolatoris. eidem igitur homini hoc tribuendum est, quod non additur ea res quae moleste fertur, quanquam careri ea omnino non potest. ab eodem denique profectum est frigidum illud μέμφομαι κἀγὼ πόσει σῷ, quod inter genuina verba aegre ferretur. Quae cum ita sint, non dubito secluso versu 899. continuare versus 898. et 900. in hoc autem versu, si tibi sicut Hermanno mutato opus videtur, scribendum proposuerim

οὐκ ἐπαιδεσθησόμεσθ' οὖν.

Ceterum in secludendis versibus 900.—902. Paleius nimio plus suo arbitrio concessisse et elegantiae studio abreptus vel ea expulisse videtur quae prae ceteris ingenium produnt Euripidis.

V. 910.

XLVIII. — Nimis breviter atque obscure Clytaemnestram hoc versu loqui aperte non est quod moneam, quoniam nemo non potest offendere hac quidem in re, praesertim cum quam eis qui antecedunt versibus attulit sententiam Clytaemnestra accuratissime exposuerit quam plurimis verbis. accedit quod, cum ibi demonstratum sit Iphigeniam certe pro uxore Achillis habitam esse, cui ille, ne ignominiam accipiat, auxilium ferre debeat, hoc quidem loco, postquam fine facto exponendi precatio addita est, male tanquam unica causa precationis subicitur novi aliquid idque ab eis quae modo exposita sunt alienissimum[150]). Quae cum ita sínt, necessario nobis orietur suspicio postquam vers. 938 sq. Achillem istam ipsam sententiam, nomine suo pu- ellam interituram esse, proferentem audiverimus, et eo quidem modo ut vix dubitari possit quin in praesens tempus ipse eam commentus sit. quoniam autem mox paucis versibus interpo- sitis eiusdem nominis eundem in modum mentio fit in loco manifeste ab interpolatore profecto, v. 947., non dubitabimus nostrum quoque versum addidamentum putare eiusdem interpolatoris, qui consulto id egerit ut illam sententiam, qua Euripides prorsus plausum eius tulerit, inculcaret quibuscunque posset locis.

Ceterum, cum merito opinor Hermannus[151]) offenderit versus 911. in numeris, hoc quoque isti interpolatori tribuendum esse recte fortasse suspicor, qui postquam suum versum retulit ad versum 909. necessario debuerit quocunque modo eum mutare qui vere illuc referebatur. huius vero genuinam formam restituerit Hermannus, si pro *βωμόν τιν'* scripseris vel *βωμὸν γάρ* vel *γὰρ βωμόν*,

οὐκ ἔχω γὰρ βωμὸν ἄλλον καταφυγεῖν ἢ σὸν γόνυ.

---

[150]) Aliter intellegi non potest particula *γάρ*.
[151]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 6.

VERS. 919.—974.

XLIX. — Vers. 919 sqq. — Qui v. 919. *πρόσω* in suspicionem vocarunt manifesto immemores fuerunt eius loci qui est Trach. 547.,

ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω,
τὴν δὲ φθίνουσαν,

cuius qui rationem habebit nullam admittet qualencunque mutationem. tamen non nulla relicta sunt suspicione satis digna, quorum gravissimum miror a nemine notatum esse.

Quae enim versibus 924 sq. continetur sententia aperte haec est: *est ubi dulce sit desipere, est ubi utilis sit prudentia.* patet enim tam Hermannum, qui *non nimis sapere* voluit in priori membro, quam Hartungum errasse, qui *non iusto plus sapere velle* reddidit, quia, verba etsi recte latine verterunt, parum respexerunt sensum. hunc autem necessario eum esse quem supra indicavi inde sequitur quod, ut sententiae docet forma, duo accurate inter se opponuntur, quorum si unum est *prudentia uti,* alterum non potest non esse *desipere.* statuendum igitur nunc quidem erit lenitate verbi *μὴ λίαν φρονεῖν* poetam mitigasse desipiendi opprobrium.

Habemus igitur neque amplius dubitabimus quomodo accipiendi sint hi versus, sed pulchram sententiam ei vel magnificam vel Euripide dignam nemini proferre videantur. inepti quid statim sequitur. *ego vero,* declamans pergit Achilles, *didici simplicibus moribus uti.* quis nunc quidem aliter hoc accipiat quam ita ut eam viam Achillem incessurum esse putet quae media sit inter desipere et prudenter agere? quo nihil cogitari potest absurdius, et tanto quidem minus quo aptius et melius hoc esset, id quaerendum esse quod inter desipere et nimis sapere medium est. tamen sane non video quomodo absurdum illud abici possit, quoniam semper se prudentem esse velle si poeta Achillem dicentem facturus erat, necessario *καὶ ἐγὼ — ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν* scribere debebat, non *ἐγὼ δέ κτλ.*

Et alia obviam fiunt reprehendenda ac sane suspecta. non modo enim versus 924. et 925. eadem syllaba terminantur vocibus *φρονεῖν* et *ἔχειν*, sed iterum quoque in fine occurrit verbum *ἔχειν* uno interposito versu.

Computatis his offensionibus reprehensione dignissimis si illud *μὴ λίαν φρονεῖν* miro modo id quod v. 919. legimus, *ὑψηλόφρων*, in memoriam revocare intellexeris, num dubitabis secludere versum 925.? nimirum ut *ὑψηλόφρων* magnanimus est ita *μὴ λίαν φρονεῖν*, quocum *μέγα φρονεῖν* conferas, dicitur is qui non nimis magnanimus est. abiectum igitur est illud desipere, quod satis alienum erat, unde sequitur ut nullo modo diutius stare possit qui sequitur versus 925. Et uno velut ictu abscessit quidcunque absurdi inerat sensui, aptissime *μέν* particulae v. 924. respondet *δέ* v. 926., sententiam autem habemus grandem ac pulchram et tam Achille quam Euripide dignissimam. audias quaeso. *magnus atque excelsus mihi animus extollitur in altum. quanquam igitur est ubi dulce sit non nimis magnanimum esse, mihi tamen, utpote Chironis disciplina institutô, simplices sunt mores,* scilicet magnum animum non quaque in re praestare non didici.

Versum igitur 925. manifesto apparet additum esse ab homine stolidissimo, quippe qui poeta quid dixerit omnino non intellexerit. ei vero versus qui inter versum 919. et versum 924., artissime illos quidem cohaerentes, nunc leguntur, versus 920.—923., utrum ab Euripide an ab interpolatore profecti sint non magis diiudicari potest quam hoc, ab eodem homine compositi sint omnes an aliis alia sit origo.

Mihi tanta quidem non excitatur suspicio ut cum Hartungo eos manifesto ab hoc loco alienos putarem[152]). nam quid impedit quominus qui magno atque excelso animo est, idem aequom praestet animum? sed hoc valde mirandum videtur, quod cur haec sententia addita sit prorsus nulla reperitur causa neque quicquam occurrit per totam fabulam ad quattuor

[152]) Eiecit hos versus item Vitzius l. l. II. pag. 12.

hos versus referendum. quo cum accedat quod supervacanea ista male intercedunt inter unius sententiae membra, dubitationes opinor non possunt non moveri num vere Euripides hunc locum sic instituerit, quae dubitationes eo augentur quod mire profecto in libris chori nota versibus 922 sq. praefixa est.

Atque hi quidem versus nunc valde suspecti videntur. haec enim reputabimus, et magis eos redundare quam alteros et facile alicui hoc in mentem venire potuisse, ut tale quid adderet, cum autem qui in margine haec scripta in genuina receperit facile adduci potuisse ut alteri personae ea tribueret, id quod factum est in versibus manifesto spuriis 508.—510. et qui hanc tuebitur sententiam non pugnantem habebit G. Hermannum[153]). Quod autem alteros versus attinet, aut Euripidi, si hoc a te impetrabis, aut alii tribuas interpolatori illo quidem antiquiori, qui Archilochium illud (no. 66. Bergk.) a primo Musgravio adsimulatum sumpserit sibi imitandum, *ϑυμέ ϑυμέ,*

. . χαρτοῖσίν τε χαῖρε καὶ κακοῖσιν ἀσχάλα
μὴ λίην.

Neque ineptum videatur si quis quattuor hos versus ex alia qua fabula sumptos et tales in margine adscriptos fuisse statuerit quales in suo libro fuerint, diserte adiuncto ubi persona mutaretur.

Vers. 937 sqq. — G. Dindorfius nunc quae Achilles hoc loco post versum 937. dicit omnia veteri tribuit interpolatori[154]) itaque hoc quoque adsecutus est, ut qui relincuntur undeviginti versus Achillis respondentes sibi habeant totidem versus qui secuntur Clytaemnestrae. ego in omne aevum de hac quidem respondendi ratione spero me dubitaturum esse neque profecto hic locus aptus videtur ad tollendas dubitationes. nempe et illud neglexit vir doctus in restituenda responsione, ex eis versibus quos

[153]) De interpp. I. in Aul. II. p. 6.

[154]) In Oxoniensi editione versus 942.—974. huic interpolatori adsignavit *Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλιστέρῳ.* videtur adstipulatus esse a. 1863. Vitzius (l. l. II. pag. 12.) interpolatori diserte Euripidis minoris nomen tribuens.

Achilli concessit certe unum (v. 925.), forsitan quinque spurios esse, et hoc, ex eis quae secuntur Clytaemnestrae (versus 977.—995. dicit) vix dubitari posse quin multa eicienda sint, et ita quidem, ut nullo fere modo retineri possit quae statuitur orationum responsio. sed ut in eis nos contineamus in quibus nunc versamur, et mirandus est Dindorfius quod tam optima quam pessima ab eodem homine profecta esse putat et vituperandus, si quidem vel ea seclusit in quibus neque ipse offendit neque offendi potest.

Optime vero tam sententia quam oratio uno usque tenore procedit ad versum 944., ubi aliud quid Achilli in mentem venit, quod neque alienum est neque inepte adiungitur. eis enim quae antecedunt maxime famae suae consulere studuit, nunc, id quod necessario fit, etiam despici se a ducibus Graecorum ac plane nihili aestimari sentit, quia clam se ipso suum nomen mutuati sint tanta in re. Atque illic quidem nihil mihi occurrit suspecti, quoniam in iudicando versu 943. Hermannus[155]) et Nauckius nimis severi fuisse videntur, hic compluribus in locis facere non potui quin vestigia agnoscerem interpolatoris.

Inprimis autem offendes in versu 946. quem primo apparet non eum obtinere quem debeat locum, quoniam aperte falsi sunt Klotzius[156]) et Weilius, qui hoc intellegere noluerunt, non posse hunc versum, qui locus eius in libris est, non ad Menelaum referri. deinde autem ne Firnhaberus quidem quicquam profecit, qui eum inter versum 944. et versum 945. intericere conatus est. non vidit enim neque versus 944. et 946. non cohaerere neque versus 944. et 945. non debere seiungi.

Patet autem illo *κάκιστος ἀνήρ* non improbum aliquem hominem sed ignavum ac plane contemnendum significari hominem, virum nullius pretii, quippe qui non sit vir, quia nihil ex sua voluntate, omnia ad aliorum arbitrium faciat. alioquin non modo redundaret vox *ἀνήρ* sed ne ferri quidem posset, praesertim cum statim quod sequitur *ἐν ἀνδράσιν* graviter dictum sit de eis qui vere sunt viri[157]). et hoc quoque accedit ad meam sententiam sustentandam, quod cum per totam orationem Achilles improbitatis quam in se admitteret nullam mentionem fecit, id quod commemoratione valde dignum videtur, tum ab hoc loco tale quid alienissimum est. Quae cum ita sint, versus 946. omnino non potest ad versum 944. referri: insani enim est hoc dicere, tam miserum virum aliquem esse tamque ignavum hominem quasi scelesto patre natus sit, hoc solum ferri potest, tam improbum aliquem esse quasi scelestissimum habeat patrem[158]). nullo autem modo versum 946. post versum 944. licet inculcare, id quod inde quoque apparet quod de industria, ut videtur, id egit poeta ut voces *ἀνήρ* et *ἀνδράσιν* in fine poneret eorum versuum quorum alter alterum subsequeretur.

Cum igitur qualis in libris est iste versus neque hic neque illic locum habeat, si quis omni modo eum servari velit, ad Elmsleium et Hartungum confugiendum erit, quorum alter proposuit, alter et proposuit et in poetae verba recepit *ἐγὼ οὐχί* pro *ὡς οὐχί*. at et improbitatis mentionem fere consulto a poeta vitatam esse et mihi quidem ab hoc loco alienissimam videri supra monui. et alia adfero. qui tandem eo aliquis adductus sit ut pro eo quod sensum praebebat quamvis malum, *ἐγὼ οὐχί*, poneret id quod sensu plane caret, *ὡς οὐχί*, dicendi autem rationem ingereret magis elegantem quam quae isti ho-

[155]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 7. — *Ἀνάξια ἀτιμάζεσθαι* vel *ἀτιμοῦσθαι*, quod G. Dindorfius Hermannus alii Hel. 455. recurrere monent, eis adnumerandum est de quibus dixi pag. 40.

[156]) ad vers. 956. suae edit.

[157]) cf. O. C. 393.

ὅτ' οὐκέτ' εἰμί, τηνικαῦτ' ἄρ' εἴμ' ἀνήρ;

Antig. 484.

ἦ νῦν ἐγὼ μὲν οὐκ ἀνήρ, αὕτη δ' ἀνήρ.

[158]) Nihil moror Firnhaberum („Ich galt also deinem gatten für einen feigling, — als wäre ich — von einem *ἀλάστωρ* abstammend".). quanquam ab eo nihil differunt qui ad illud *ἐγὼ τὸ μηδέν* hunc versum referunt.

mini, qui ne hoc quidem perspiceret, quomodo huius loci singulae sententiae cohaererent, usitata fuerit? aut ἐγώ si excidisset, cui in mentem venerit supplere ὡς? et Euripides quidem manifesto non scripsit ἐγώ, propterea quod id prorsus redundat. in eis enim quae praecedunt Achilles suam personam opponit Menelao, unde pronomine opus est: hic si adesset pronomen, quis esset oppositus?

Servabimus igitur ὡς totumque versum homini tribuemus parum sagaci, qui neque hoc intellexerit, κάκιστος ἀνήρ minime hoc quidem loco ad improbum hominem referenda esse, neque hoc viderit addendi studio abreptus, iniusto loco addidamentum suum se inculcare. Et longius procedemus quam qui hunc unum versum spurium putavit, Nauckius, eidemque homini item eum versum adsignabimus qui sequitur.

Atque illo quidem versu quid cogitari potest durius, quid minus perfectum? sententiam non ad finem perductam esse putes. et excidisse aliquem versum suspicatus est Matthiaeus. at hanc quis tuebitur sententiam, si et versum aperte spurium antecedere et male hic ea repeti quae modo iusto loco dicta sunt secum reputaverit? in memoriam revoces versus 941 sqq., qui etiam prorsus eodem modo quo hic versus clausulam imponunt sententiae. quod autem gravissimum est et plane aperit interpolatoris artificium, non potest dubitari quin hic versus compositus sit ex versibus 938 sq. adsumpta ea sententia quae continetur v. 937. Vides igitur adsentientem me Hermanno, cui hi versus ab interpolatore adiecti videbantur [159].

Nunc autem quae vis inest versibus 944 sq., nunc quam pulchre addita est particula ἄρα, quae prorsus redundaret, si adesset versus 947., nunc denique quam apte procedit sententia. reputanti enim ea quae versibus 938.—943. continentur subito quod necessario inde colligitur Achilli in mentem venit, despici se a primoribus. *ego nullius igitur pretii vir, ego nihil eram,*

[159]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 7.

Menelaus in numero virorum? haec exclamat interrogando. et ipse sibi respondens *immo per Nereum avum*, inquit, *alium me esse cognoscent, si quidem ne attinget quidem filiam tuam Agamemno, ni Sipylus, barbarorum ager, in aequo ponetur civitatibus Graecis.*

Hucusque (v. 952.) verba poetae, hac quidem de re. nam qui secuntur versus duo aperte interpolatoris sunt tam aequabilitatis quam perspicuitatis nimis studiosi. Ac prioris quidem versus, qui idem Nauckio suspectus videtur, quam mira sit impedita dicendi ratio facile quisque intelleget. Euripides certe sic opinor eum instituisset,

ὅθεν πέφυκε τῶν στρατηλατῶν γένος,

numeris quoque melius consulens. accedit autem quod hoc addidamentum multum ponderis adimit praegresso versui, praesertim cum Atridarum, si quid video, ibi ratio habita sit. ita enim illud βαρβάρων accipiendum puto ut ipsi Tantalidae intellegantur. denique hoc si cogitaveris, Athenienses omnesque Graecos cognitam habuisse originem gentis illius celeberrimae ideoque addidamento isto misero ac putido minime opus fuisse Euripidi, opus fuisse inferioris aetatis hominibus, non dubitabis hunc versum Euripidi abiudicare. Idem necessario statuendum est de altero versu, quem moneo eisdem atque eum qui sequitur terminari syllabis, quod neque consulto, ut supra vers. 939 sq., a poeta institutum esse apparet, neque mitigari poterat mora facta dicendi, quoniam ea quae Calchanti Achilles minatur cohaerent cum minis in Agamemnonem iactatis.

Quoniam igitur non dubium est quin hi quoque versus ab interpolatore profecti sint non nimis docto, quid v. 954. non tenemus Palatini Φθία δὲ τοὐμόν? nimirum quod in Florentino est, Φθία δὲ τοὐμόν τ', stolidi alicuius insana est emendatio, quod vero Palatinus praebet, id ab ipso versificatore scriptum puto. pro appositione enim accipiendum est τοὐμόν et subaudiendum ὅρισμα, ita ut inter se opponantur Σίπυλος, τὸ βαρβάρων ὅρισμα, et Φθία, τὸ ἐμὸν ὅρισμα.

Vers. 959.—969. — Quae Achilles pluribus verbis exponit

versibus 962.—969. immane quantum distant ab eis quae idem dixit ante versum 944. supra enim quam sollicitum de fama sua se praestitit, quam liberalem prae se tulit mentem: hic prorsus nihil curat famam, durum profitetur ingenium, asperum animum. minime immemor sum eorum quae adferent hunc locum defensuri, veteres haud nescio minus quam recentioris aetatis homines indulsisse mollitiae ac lenitati animi. et facile ferri posse vel ea quae vers. 962 sqq. legimus Achillem reputantem neque ullo modo opprobrio illi esse minime recuso. sed nego iuxta priorem illam orationis partem haec stare posse, quia inertiae ac neglegentiae coarguerent Euripidem. non enim discrepant sed vehementissime pugnant haec cum illis. quod necessario concedes, sive hoc spectabis in universum, qualem animum Achilles praebuerit alterutro loco, sive singulas comparabis sententias. sed illud non est cur accuratius demonstrem, quoniam nihil illo apertius, nihil certius est. docent hoc vers. 927. 928.—931. 938.—940. ipsa vero verba fere singula inter se pugnare ipsumque Achillem infitias ire quae modo dixit versus 965. ostendit cum versibus 936 sq. comparatus.

Tam ineptum, tam inutilem ad hominum mores describendos num est ubi videris Euripidem? frustra quidem laborabit si quis similem inertiam ex alia qua fabula adferre conabitur. et profecto si talis erat Euripides, quis illo minus fuit dignus qui in aequo poneretur Aeschylo et Sophocli?

Hoc igitur concedendum erit, quoniam orationis altera pars alteri repugnet, non utrumque hoc coram Clytaemnestra ab Achille disputatum esse, sed interpolatorum manus cum non modo verba poetae amplificantes sed sententias quoque addentes hac in fabula identidem deprehenderimus, vix dubitari posse videtur quin hic quoque interpolator quis grassatus sit. Ac Nauckio quidem suspecti sunt versus 962.—974. sed aliud quid fortasse relinquitur, id quod statui necesse est ab eis qui hunc locum Euripidi abiudicare non audeant, ad spectatores conversum et submissiore voce Achillem loqui a versu 962. vel potius a versu 959. usque ad versum 970., ita ut eorum quae ille

cum prioribus parum concinentia dicit ignara sit Clytaemnestra. quae explicatio commendari videtur versibus 963 sq., ubi Clytaemnestrae tanquam absentis mentio fit. sed prorsus nullius momenti hoc argumentum esse mox videbimus.

Hanc igitur si sequimur rationem, non quid vere sentiat Clytaemnestrae aperuisse sed verba dedisse de moribus suis simplicibus animique liberalitate neque minus famae suae curam simulasse Achilles putandus est, causam vero Iphigeniae defendendae nullam aliam habere nisi contemptam suam dignitatem. atque hanc quidem non reprehendemus causam, etsi eae quas simulasse videtur magno animo magis sunt dignae: sed hoc in Achille acriter vituperari debere consentaneum est, quod arrogantia tantum Atridarum se impulsum esse ut Agamemnonem a filia sacrificanda prohibiturus sit non libere profitetur, sed iactandi causa speciosa facit verba, quae mox, ubi sibi spectatoribusque veram aperit causam, ipse refutare cogitur singula. consulto igitur prosperoque cum eventu poeta id egisse videtur ut arrogantiam et timiditatem una persona iungeret Achillis, quae vitia necessario ridiculam gloriositatem secum trahunt et dolosam simulationem. At in describendo Menelao, quem plerumque timidum et dolosum ab Euripide fictum videmus, habuit poeta cur non sequeretur Homerum: qui enim perfidae et fugitivae uxoris alieno auxilio aliorumque cum vitae discrimine recuperandae cupidus insano amore usque adeo abreptus est ut ne poenam quidem sumat a tali muliere despici et rideri pristinaque gloria destitui meret. contra Achillem novis istis moribus instruendi cum praeclara illa qualis in singuli cuiusque mente erat Pelidis imagine minime convenientibus nihil ne cogitari quidem potest causae, immo vituperandus videtur Euripides quod quem tam propter morum praestantiam quampropter corporis habilitatem tanquam exemplum ad quod certatim se formarent adulescentibus proponi videbat suae potissimum aetatis, eum foedissimis istis vitiis deformatum ante oculos posuit cuncto populo.

Vituperandus esset poeta, sed patienter ferre deberemus istud commentum, si certum aliquem finem secutus talem Achillem ille finxisset, scilicet si quam sibi praescripserat dispositionem non potuisset exequi nisi Achillis moribus in peius mutatis. sed cum et deesset illa necessitas, id quod concedes quamvis accuratissime inspecto fabulae argumento, neque alius sit in hac tragoedia locus ubi denuo Achilles istos mores prodat, ego quidem hunc quoque locum a poeta ita comparatum fuisse puto ut vere simplices mores Achilles ostenderet neque aliam palam aliam clam praeberet mentem. nam novum hoc vitium maius videtur quam quod Euripides admiserit, ut clari alicuius viri eiusque praestantissimi mores cuique hominum notissimos in contrarium ac peius converteret non modo praeter fabulae necessitatem sed etiam uno tantum loco ceteris locis non respectis ideoque magno cum concinnitatis detrimento.

Secludendi igitur visi sunt versus 962.—969. et qui ad eos tanquam traducunt versus 959.—961., quibus versibus remotis plane nihil desideratur. Qui vero hos addidit versus non eum fuisse consentaneum est qui singulos illos passim per hanc Achillis orationem dispersos fabricatus est. illi enim imbecillum ingenium utpote plerique falsa opinione orti miseramque produnt versificandi artem: hi praeterquam quod iniusto loco inserti sunt Euripideo ingenio dignissimi videntur omni ex parte. non dubito igitur Euripidi minori eos tribuere, qui, quoniam Homero prae ceteris operam dedisse videtur, Euripideum Achillem superbi atque iracundi illius Homerici similiorem esse voluerit eidemque studio deditus illud quoque ingesserit Homericum quod versibus 959 sq. continetur, *μυρίαι κόραι θηρῶσι λέκτρον τοὐμόν* (cf. Il. IX. 395 sqq.).

Nullo vero modo ab eodem Euripide minore profecti sunt qui eius versibus inculcati sunt versus 963 sq. sed aperte illi ab recentioris aetatis homine originem ducunt, quem eundem atque eum fuisse qui ceteros eiusdem generis versus addidit licet suspicari. Atque aegre quidem eos compositos esse luculente

docet obscura ista sermonis ratio [160]) quae efficitur duobus dativis *ἐμοί* et *πόσει* cum uno eodemque verbo ita coniunctis ut alio modo uterque referendus sit atque artius quidem adiungendus dativus *πόσει*, liberius dativus *ἐμοί*. idem deinde opinor in eam rationem cadit qua articulum *ἡ* usurpatum vides, non ferendam illam quidem tam in diverbio poetico quam in oratione pedestri. interpolator vero quae articulo inesset vis non sentiens ut versum expleret eum addidit.

Vides igitur me non adsentientem Hartungo, qui cum *θήραμα παιδός, εἰ Κλυταιμνήστρα γ᾽ ἐμοί* scripsit post vocem *πόσει* plene interpungens, praeterquam quod vitiosum eliminavit articulum sententiarum cohaerentiae optime consuluit, sed neque cetera quae sermoni insunt interpolatoris vestigia confudit neque sententias ad ea quae antecedunt vel secuntur male accomodatas addidamenti indicia esse secum reputavit. quare Hermanni quoque praetermittere licebit mutationem, *θήραμα παιδός· εἰ Κλυταιμνήστρα δ᾽ ἐμοὶ μάλιστ᾽ ἐπείσθη —, ἔδωκά τἄν κτλ.*, quae ansam dederat Hartungo. magnopere autem mirari me subit quod qui mutatione opus esse putarunt, Firnhaberus Nauckius Klotzius Weilius, hanc coniecturam ab ipso Hermanno postea abiectam anteposuerunt Hartungianae. quis enim quaeso Graecorum hunc locum, isto modo si scriptus fuisset, non ita accepisset quasi hoc diceret Achilles? *sin autem eo potissimum quod mihi Iphigenia locanda esset Clytaemnestra adducta esset ut filiam traderet Agamemnoni, dedissem nomen meum.* quod plane in contrarium convertere est sensum.

---

160) Quam ambiguus hic locus sit Hartungus testantur et Klotzius, qui eadem ratione utrumque dativum iungunt cum verbo *ἐκδοῦναι*, et ita quidem ut pronomini *ἐμοί* appositionis modo additum putent vocem *πόσει*. manifesto decepti sunt versificatoris imperitia. nam de collocanda filia, id quod viris illis doctis visum est, nullo modo cogitandum esse docet vocula *μάλιστα*, quae, quoniam non e pluribus procis unus Clytaemnestrae eligendus erat, inepte redundaret.

Antiquioris igitur interpolatoris verba amplificandi causa tanquam glossema duos illos versus iniecit interpolator recentior, neque acquievit hac in re, ut docent fortasse versus 973 sq. Nunc de versibus 970.—972. quid statuendum sit quaerendum est.

Sententiam autem si spectas, maior quidem Euripides non repetiverit quae multo aptius modo pluribus exposuit (vers. 948.—956.), ineptum autem illud si vere admisisset, certe hoc cavisset, sententiae in fine initium adiungere eiusdem sententiae tantum non eisdem verbis repetitae. an aliter censeas? quid verum sit doceant ipsius poetae verba. *μὰ τὸν δι' ὑγρῶν κυμάτων τεθραμμένον Νηρέα — οὐχ ἅψεται σῆς θυγατρὸς Ἀγαμέμνων ἄναξ, οὐδ' εἰς ἄκραν χεῖρ', ὥστε προσβαλεῖν πέπλοις, — πικροὺς δὲ προχύτας χέρνιβάς τ' ἐνάρξεται Κάλχας ὁ μάντις.* qui secuntur versus duo et dimidius deridendi Calchantis causa additi aperte nihil adferunt quod ad ipsam pertineat rem. etsi igitur bene clausulam imponunt longiori orationi, necessario pro parenthesi accipiendi sunt, si adiungis versus 970 sqq. ad summam orationis reversos, ipsi autem versus 970 sqq. cum idem argumentum habeant ac versus 948.—956., vere sententiam subsequitur repetita eadem sententia. quod ab ipso Euripide institutum esse non possum mihi persuadere, eoque minus quia versus 956.—958. vix dubitari potest quin clausulam complectantur orationis ab ipso Euripide profectae.

Vides igitur hos quoque versus a minore Euripide scriptos mihi videri, et sane arte illos cohaerere cum eis quae proxime antecedunt non erit quomodo infitieris, accuratius si inspexeris argumentum. haec enim, *τάχ' εἴσεται σίδηρος*, ad versus 968 sq. referenda esse rectissime monuit Weilius, quare plenius interpungendum est ante voculam *ὃν*: qui autem nunc efficitur singulorum membrorum conexus sine dubio aptior est quam quem neget quisquam genuinum esse, sublatum autem est frigidum illud quod eis inerat quae sunt *τάχ' εἴσεται σίδηρος, εἴ τίς με τὴν σὴν θυγατέρ' ἐξαιρήσεται*, quod ne

minori quidem Euripidi condonassem. Nec minus apta videtur ea sententia quam de versu 971. Weilius tulit, corruptum illum esse eo quod vocabulum *αἵματι* verborum *φόνου κηλῖσιν* interpretandi causa a grammatico aliquo adscriptum in versum receptum sit eiecto genuino aliquo verbo. mihi quidem hoc magis placet quam quod a Porsono propositum est, *ὃν πρὶν εἰς Φρύγας ἐλθεῖν φόνου κηλῖσιν αἵματος χρανῶ*, magis etiam quam quod ex Porsoni coniectura retinuerunt Hermannus Kirchhoffius Nauckius, *ὃν — ἐλθεῖν φόνου κηλῖσιν αἵματος χρανῶ*: probabiliter enim Weilius exposuit originem corruptionis, quod vix aeque praestent ceteri. istud vero *αἵματι*, quod libri praebent, a Firnhabero illud quidem et nuper a Klotzio commendatum, minime ab Euripide vel ab Euripide minore profectum est, sed vix miserrimo homine dignum videtur, cui, etiamsi vitiose productae indulgeas tertiae syllabae vocabuli *αἵματι*, ineptissimam illam non licet tribuere sententiam.

Versus 973 sq. et prorsus supervacanei sunt neque cohaerent cum eis quae antecedunt, sive proxima spectas, a minore Euripide illa quidem profecta, sive genuina respicis maioris Euripidis, sed utroque in loco male adsutos illos apparere facile concedas. nimirum inepte hoc institutum est, ut postquam quo Iphigenia et Clytaemnestra adfecti sint malo leviter commemorato eorum tantum rationem habuit quae ad se ipsum pertineant solisque his summa incensus est ira atque Iphigeniae servandae cupiditate subito nunc Achilles aperte iam peroratione facta ad Clytaemnestram se convertat, et ita quidem quasi ne semel intermisisset quidem illius rationem eiusque tantum filiaeque causa suscepturus esset quaecunque moliturus est.

Maiori igitur Euripidi hos versus abiudicanti facile opinor mihi adsentieris, sed minor Euripides num hoc vitium non admiserit forsitan dubites. tamen nescio an recte hic quoque manum agnoscam recentioris illius interpolatoris, quae suspicio duabus potissimum rebus excitatur. Primum enim Euripides minor aperte totus in hoc versatus est, ut iracundum ac superbum

suaeque auctoritatis nimis studiosum Achillem nobis ante oculos poneret, a quo studio alienus fuit qui versus 973 sq. addidit. deinde, id quod supra indicavi, versibus 970.—972. orationi finem imponi magis in aperto est quam ut eos qui composuerit, idem versus 973 sq. adiecisse putandus sit.

Sententiam autem vel argumentum quod attinet, vix dubito quin nimis severo iudicio usi sint qui absurdos hos versus dixerunt, velut Hartungus, qui istam causam habuit eos secludendi, vel Marklandus Musgravius Boissonadius Firnhaberus Hermannus[161]) Heimsoethius[162]) Weilius, qui alius aliam proposuerunt mutationem aut quaesitam distinguendi atque explicandi rationem (cf. Boisson. Firnh.). Qui hos versus composuit aperte hunc inesse voluit sensum, quem ultro illi praebent: *bono sis animo. nam salutaris tanquam deus tibi comparui maximus* (i. e. prae ceteris firmus), *qui etiamsi nunc non sum, attamen fiam* (i. e. nunc quidem nondum te servavi, at servabo te). itaque ne Nauckius quidem, qui prae ceteris versibus spurium putavit versum 974., me habet adstipulatorem, recte autem monuit Matthiaeus argutias captari isto versu. Ceterum hoc mihi liceat dubitanter quaerere, num vocabulum θεός ex Achillis persona translato sensu de ipso Achille dictum ingenium prodat inferioris aetatis.

Iuvat nunc paucis complecti quid de tota Achillis oratione qualis versibus 919.—974. continetur statuendum esse censuerim, quoniam nullus locus est in tota fabula ex quo melius intellegas huius tragoediae condicionem.

Atque Euripides quidem, qui versus scripsit 919. 924. 926.—945. 948.—952. 955.—958., omni ex parte perfectam reliquit seque dignissimam orationem. quam mox, ubi agenda erat fabula, additis versibus 959.—962. et 965.—972. ipsam sibi repugnantem fecit misereque turbavit Euripides minor. Haec igitur loci fuit species qualis in scena spectata est ab Atheniensibus. nam profecto magno post temporis spatio vixisse videtur grammaticus iste insanus atque inverecundus qui cum totam fabulam [163]) tum eam potissimum partem in qua Achillem et Clytaemnestram aut Clytaemnestram et Agamemnonem poeta fecit identidem inter se colloquentes addidamentis auxit inclinatae ac plane labentis Graecitatis signa plerumque prae se ferentibus. cui ut supra versus 899. et 910. tribui ita hoc loco versus 946 sq. 953 sq. 963 sq. 973 sq. deberi puto. Reliqui sunt ex suspecto numero praeter versum 925., qui ab alio interpolatore additus videtur, versus quattuor illi 920.—923., qui ubi pluribus de eis exposui dubitari posse dixi num de iure hic legantur. et mihi quidem a grammatico aliquo ex alia fabula citati potius quam ab ipso Euripide additi videntur, quod idem hoc quidem loco non possum non monere de versu 958., qui in margine ad versum 957. adsimulatus fuisse videtur.

Tam igitur accurate quam facile distinguuntur manus tres, Euripidis, Euripidis minoris, inferioris aetatis grammatici versus de suo inculcantis, quibus praeter eam manum quam versum 925. addidisse suspicor manum eius grammatici qui similibus locis similes adscripsit subiungere licebit. versibus 508.—510. manifesto illam quidem deprehensam.

[161]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 7.

[162]) Kritische Studien. I. pag. 44.

VERS. 977. sqq.

L. — Cur Clytaemnestra Achillem miris efferat laudibus intellegi non potest alia causa nisi quod ille Iphigeniam se defensurum esse pollicitus est. apparet igitur confidere reginam magnanimo atque audaci adulescenti, et consideratis ac perpensis eis quae egregie et dilucide Achilles modo disputavit hoc eventurum esse expectaverimus. quare magnopere Clytaemnestram mirabimur quod denuo precando et persuadendo dat operam [164]), in qua consumit quos a versu 981. declamat versus

[163]) Certe hanc coniecturam facere licet. — cf. quae de eodem homine dixi ad vers. 598.—606. pag. 83.

[164]) cf. Zirndorfer. chronol. pag. 101.: huic loco convenit quidem

novem. Quod autem gravissimum est, quae precibus his praemittuntur (vers. 981 sq.), *αἰσχύνομαι δὲ παραφέρουσ᾽ οἰκτροὺς λόγους*, non modo aliena videntur a Clytaemnestra qualem modo se praestitit versibus 900.—916. maximeque versibus 909 sqq., non modo porro male concinunt cum eis quae secuntur a. v. 992., ubi Iphigeniam eductura est supplicem et haec addit ad probandam suam sententiam,

σεμνὰ γὰρ σεμνύνεται,
ὅμως δ᾽ ὅσον γε δυνατὸν αἰδεῖσθαι χρεών,

sed aperte etiam pugnant cum his eiusdem Clytaemnestrae (vers. 900 sqq.),

οὐκ ἐπαιθεσθήσομαί γε προσπεσεῖν τὸ σὸν γόνυ,
θνητὸς ἐκ θεᾶς γεγῶτα· τί γὰρ ἐγὼ σεμνύνομαι;
ἐπὶ τίνι σπουδαστέον μοι μᾶλλον ἢ τέκνου πέρι;

quae repugnantia cum vix ullo modo usquam ferri possit tum hic sine ulla dubitatione tollenda est. ubi loco per se quoque molesto ac suspecto orta est.

Eiciendi igitur sunt versus 981.—989., unde hoc quoque efficitur, ut versus 990. quam ab Euripide tributam habuit recuperet propriam suam vim. apparet enim ei laudem illam inesse quam quomodo recte profiteatur Clytaemnestra supra dixit se ambigere. nonne haec pulcherrime sese excipiunt?

πῶς ἄν σ᾽ ἐπαινέσαιμι μὴ λίαν λόγοις,
μηδ᾽ ἐνδεῶς τοῦδ᾽ ἀπολέσαιμι τὴν χάριν;
(αἰνούμενοι γὰρ ἁγαθοὶ τρόπον τινὰ
μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἢν αἰνῶσ᾽ ἄγαν.)
ἀλλ᾽ εὖ μὲν ἀρχὰς εἶπας, εὖ δὲ καὶ τέλη·
σοῦ γὰρ θέλοντος παῖς ἐμὴ σωθήσεται.

Qui autem vim illam intulit non dubito quin ad aliena illa addenda eo adductus sit quod versus 992 sqq. quem in finem Clytaemnestra adiunxerit non intellexit. aperte enim Achilli

---

quod Clytaemnestra Achilli gratias agit, ut in initio suae orationis facit; sed cur denuo eum admoneat, ut Iphigeniam servet, equidem causam non video.

fidem quidem habet Clytaemnestra, quoniam gratias agit quam maximas, sed optime illum id promissum soluturum esse sperat quod ipsi fecerit Iphigeniae. unde in eo est ut filiam domo evocet. parum vero cautus et ne ea quidem recte perspiciens quae proxime antecedunt interpolator hoc sibi persuasisse videtur, non satis adhuc Clytaemnestram sibi precibus suis profecisse, quare nunc si ipsa Iphigenia asperum adulescentis animum frangat periculum factura sit. sed extrema expertura Clytaemnestra ipsa non satis Achillem temptasse ei visa est, quam causam habuit inculcandi.

In interpolatoris porro ingenium et artem inquirentem me fateor primo de eodem homine cogitasse quem proximam Achillis orationem, a maiore Euripide compositam, a minore amplificatam illam quidem, praeter ceteras huius fabulae partes suis addidamentis auxisse magnopere velim viris doctis me comprobasse. adducebar autem in hanc sententiam quia satis imbecilli ingenii fuisse videtur qui tam male quod poeta secutus est perspexit consilium. sed mox, postquam sententias inspiciens non nulla relinqui intellexi quae et ipse interpolator excogitasse videatur neque homo iste inferioris aetatis invenisse putandus sit, maxime autem postquam versus 981 sq. et 983. non simpliciter sibi adiunctos sed tam eleganter quam subtiliter sententiarum conexu inter se coniunctos vidi[165]), non potui non abicere deterioris hominis suspicionem, memoriam repetere, non dico Euripidis minoris, qui quin recte perspexerit perspicuam loci condicionem non est dubitandum, sed alius cuiusdam

---

[165]) Particulae *ἀλλά* adiuncta particula *οὖν* nota est apodoseos. hic igitur efficitur sententiarum conexus, nullo modo ille quidem ab isto recentiore grammatico excogitatus: miserabilium pudet me verborum, at hoc quidem dico: habet speciem quandam etc. hanc igitur propono singularum sententiarum distinguendi rationem,

αἰσχύνομαι δὲ παραφέρουσ᾽ οἰκτροὺς λόγους·
ἰδίᾳ νοσοῦσα, σὺ δ᾽ ἄνοσος κακῶν γ᾽ ἐμῶν·
ἀλλ᾽ οὖν ἔχει τοι σχῆμα κτλ.

interpolatoris illo antiquioris, cuius vestigia sine ullo acuminis nimio impendio ab alteris discernens passim deprehendisse mihi visus sum, qua de re et supra monui et infra docebo.

V. 995.

LI. — Inepte versus 995. in libris sic scriptus est,

ἰδοὺ παρούσης ταῦτα τεύξομαι σέθεν.

Quae quamvis misera sint et consuetudini Graeci sermonis repugnent, Firnhaberus et Klotzius non dubitarunt ut genuina servare. nimirum hoc prorsus neglexerunt, voculam *ἰδού* non addi nisi eis de quibus agitur tanquam ante oculos positis colloquentium. ego quidem non dubito quin recte Hartungus coniecerit *εἰ δ᾽ οὐ* pro *ἰδού* scribendum esse. verum autem adsecutus sit Nauckius, qui et ipse *εἰ δ᾽ οὐ* coniciens absolvit emendationem ab Elmsleio (ad Heracl. 44.) incohatam versum 996., qui Achillis est in libris, Clytaemnestrae continuando. adstipulatores Nauckius nactus est Kirchhoffium et Weilium. Et *εἰ δὲ μὴ παρούσης ταῦτα τεύξομαι σέθεν* nemo requiret qui sensum examinaverit, versum 996. autem si quis Clytaemnestrae tribuere dubitat, prava quae libris nostris exhibetur versuum distributio violenta medicina est a grammatico aliquo tum sensui adhibita cum *εἰ δ᾽ οὐ* in *ἰδού* depravatum verba *μενέτω κατ᾽ οἴκους* recte referendi rationem prorsus obscuraverat. Denique qui Nauckio his in rebus adsensus erit libenter Heathii quoque amplectetur emendationem *ταὐτά* restituentis.

VERS. 1017.—1023.

LII. — Britannus ille anonymus qui versus 810.—818. spurios duxit item versus 1005.—1007. interpolatori tribuendi quam idoneam habuerit causam ego quidem non video[166]) neque

[166]) Musei classici Londinensis volumina quattuor priora mihi non patuisse supra memoravi.

coniectura adsequor quomodo factum sit ut adsectatorem nancisceretur G. Dindorfium. hunc autem quos statim e sua coniectura seclusit versus 1017.—1023. immerito abiecisse pro certissimo habeo.

Primum quidem illorum versuum, qualem nunc quidem speciem fert, concedendum est suspiciones movere gravissimas, quibus, quoniam optime tolluntur et lenissime, non nimis debet indulgeri. Offendebatur enim ab omni tempore et in eo quod *τὸ χρῄζον* hoc loco manifesto de ea re dictum est quae ab aliquo optatur, quamvis sit consentaneum nunquam participium activum vice fungi posse passivi, et in eo quod *εἰ* particula sibi subiunctum habet verbi tempus aoristum ubi, quoniam futura condicio posita est, nihil aliud nisi futurum aut praesens tempus locum habere potest. ista vitia, quae tot doctissimorum virorum emendandi conatus fefellerunt, longe alia visa sunt ac quae lapso calamo aut detrito codice orta sint, unde factum est ut interpolatorem suspicatus sit G. Dindorfius adsentiente Nauckio. at medicinam difficultatibus reperierunt alteri Kirchhoffius alteri Weilius, quas coniecturas simulatque in unum coniunxisti non modo versum habes ab omni suspicione liberum sed pulchram sententiam, elegantem sermonem. quod autem gravissimum est, lenissima utraque est mutatio, quae autem Weilium habet auctorem ipsis codicibus quodam modo commendatur.

Coniecit enim Kirchhoffius *ἔπιθεν*, unde voci *τὸ χρῄζον* vis redditur activa, scripsit *ᾖ* Weilius pro *εἰ* quod vulgo legitur, unde remota qua certi aliquid respicitur condicione magis in universum spectantem ac generalem nanciscimur sententiam. licebat autem Weilio eo magis particulam *εἰ* abicere quia *εἴη* habet codex Florentinus, Palatinus quid praebeat non constat.

Consociatis igitur his coniecturis versum 1017. sic restitui:

ᾖ γὰρ τὸ χρῄζον ἔπιθεν οὐ τοὐμὸν χρεὼν
χωρεῖν.

τὸ χρῄζον autem, *id quod optat*, apparet ex more Graecis satis

usitato fere pro *τὸ χρήζειν* dictum esse, ut Thucydidea illa saepe citata, *τὸ δεδιὸς αὐτοῦ, τὸ θαρσοῦν* (I. 36. 1.) et quae apud Sophoclem occurrunt, *τὸ ποθοῦν* (Trach. 196.), *τὸ δρῶν* (O. C. 1604.)[167]), quod autem prae ceteris usitatum est, *τὸ βουλόμενον*, fere idem valent quod *τὸ δεδιέναι τὸ θαρρεῖν τὸ ποθεῖν τὸ δρᾶν τὸ βούλεσθαι*, id quod optime docemur Hipp. 247 sq.,

τὸ γὰρ ὀρθοῦσθαι γνώμην ὀδυνᾷ,
τὸ δὲ μαινόμενον κακόν.

Achilles igitur hanc profert sententiam a qua profectus impellatur ut persuadendi rationem temptare Clytaemnestram iubeat: *nam qua optatio persuasit non me opus est intercedere*, i. e. ubi optando Agamemno commotus est violento meo auxilio non est opus.

Qui autem tam lenibus adhibitis remediis sanatur locus quoniam non debet opinor ut spurius in suspicionem vocari, retinendi sunt versus 1017 sq. Sed frustra laborabis etiam in versibus 1019.—1023. criminandis. nam qui prae ceteris vituperatus est, v. 1019., non dubito quin tibi probetur, si *ἀγαθὸν εἶναι πρός τινα* Graecis idem esse reputas quod hoc Latinis, bonum alicui se praestare. subtilius autem quam verius hac de re disputasse Hermannum, qui, etsi retinuit quae exhibent codices, Achillem qualis esse videretur quam qualis esset curasse maluisset. denique versus 1022 sq. quod attinet, etsi aliqua ex parte repetunt quae modo ab Achille dicta sunt, *οὐ τοὐμὸν χρεὼν χωρεῖν*, tamen mihi quidem nihil habent suspecti. quanquam satis impedita sententia est ideoque tam obscura ut esse videantur qui eam non perspexerint. recte, in universum si spectas, Klotzius. scilicet hoc dicit Achilles: *feliciter autem si sors ceciderit, iucunde haec cedent amicis, et tibi quoque, etiam sine me.*

---

[167]) Hic locus cum Meinekio me dubitare moneo num recte se habeat. egregie, ut par est, idem ille vir doctissimus coniecit

ἐπεὶ δὲ παντὸς εἶχ' ἔρωτος ἡδονήν.

DE STASIMO TERTIO.

(vers. 1036.—1097.)

LIII. — De chorico carmine quod a. v. 1036. sequitur ut nonnulla quam brevissime moneam transcribo stropham et antistropham quales ab Euripide scriptas esse puto. epodi vero priorem partem, de qua quid sentiam pag. 77. indicavi, restituere postquam doctissimi recusarunt viri me quoque desistere consentaneum est, altera pars, postquam v. 1090. Bothius et e sua coniectura item Nauckius secluserunt vocem *δύνασιν*, Hermannus autem v. 1096. egregie addidit *μή*, non video quid habeat corrupti.

Τίς ἄρ' ὑμέναιος διὰ λωτοῦ Λίβυος — *στρ.*
μετά τε φιλοχόρου κιθάρας
συρίγγων θ' ὑπὸ καλαμοεσσᾶν ἔστασεν ἰαχάν;
ὅτ' ἀνὰ Πήλιον αἱ καλλιπλόκαμοι Πιερίδες, χάρμ' ἐπὶ δαιτὶ θεῶν,

χρυσεοσάνδαλον ἴχνος ἐν γᾷ κρούουσαι
Πηλέως εἰς γάμον ἦλθον,

μελῳδοῖς Θέτιν ἀχήμασι τόν τ' Αἰακίδαν
Κενταύρων ἀν' ὄρος κλέουσαι Πηλιάδα καθ' ὕλαν.

ὁ δὲ Δαρδανίδας, Διὸς
λέκτρων τρύφημα φίλον,
χρυσέοισιν ἄφυσσε λοιβὰν
ἐν κρατήρων γυάλοις,
ὁ Φρύγιος Γανυμήδης.

παρὰ δὲ λευκοφαῆ ψάμαθον εἱλισσόμεναι κύκλια
πεντήκοντα κόραι Νηρέως γάμους ἐχόρευσαν.

Ἀνὰ δ' ἐλάταισι στεφανώδει τε χλόᾳ — *ἀντιστρ.*
θίασος ἔμολεν ἱπποβότας
Κενταύρων ἐπὶ δαῖτα τὰν θεῶν κρατῆρά τε Βάκχου.

μέγα δ' ἀνέκλαγον „ὦ Νηρηὶ κόρα", παῖδες οἱ Θεσσαλίας,
„μέγα φῶς
„μάντις ὁ φοιβάδα μοῦσαν εἰδὼς γεννάσειν
„Χείρων σ' ἐξονόμαζεν.

„ὅς ἥξει χθόνα λογχήρεσι σὺν Μυρμιδόνων
„ἀσπισταῖς Πριάμοιο, κλεινὰν γαῖαν ἐκπυρώσων,

„περὶ σώματι χρυσέων
„ὅπλων ἡφαιστοπόνων
„κεκορυθμένος ἔνδυτ', ἐκ θεᾶς
„ματρὸς δωρήματ' ἔχων,
„Θέτιδος, ἅ νιν ἔτικτε."

μακάριον τότε δαίμονες τᾶς εὐπάτριδος γάμον
Νηρῄδων ἔθεσαν πρώτας Πηλέως θ' ὑμεναίους.

Cum plerisque strophae et antistrophae partibus doctorum virorum cura tam bene consultum sit ut nunc quidem nusquam quid scribendum sit merito ambigatur[168]), versus 1041. caret qua dubitationes prorsus tollantur medicina neque suspicione vacuus est, ut consentaneum videtur, qui illi respondet antistrophae locus. quare mihi quoque periculum faciendum esse duxi si saltem originem detegam corruptionis, ut tandem aliquando pristinus restituatur pulcherrimi carminis splendor. Versum 1041. ineptissimis claudicantem numeris, quem sic exhibent libri,

Πιερίδες ἐν δαιτὶ θεῶν,

primus Kirchhoffius detexit lacuna laborare infeliciter compensata, sed antistrophicum versum,

168) V. 1059. cave cum Gomperzio (Mus. Rh. vol. XI. a. 1857. pag. 470.) *ἱπποβάτας* scribas, quod et in Persarum versu 28. a Gomperzio comparato de equitibus dictum est neque est unde quoad originationem idem sit quod *ἱπποβάμων* vel *ἱππόπους*. ceterum Thessaliam (Soph. El. 703.) atque ipsam Magnesiam quis nescit re equaria excelluisse? quid quod ex equis Magnesiis ortos esse Centauros dicit Pindarus Pyth. II. 45 sqq.

παῖδες αἱ Θεσσαλαὶ μέγα φῶς,

non dubito quin pluribus vitiis deformatum putaverit quam putare debuerit. haec enim cum scribi vellet, *παῖδα σὺ Θεσσαλίᾳ* (vel *Θεσσαλοῖς*) *μέγα φῶς*, non reputasse videtur quos recte statuit cantare quae Chiro vaticinatus est Centauros optime filios Thessalos vel Thessaliae filios appellari. mihi quidem id reputanti hoc certissimum visum est, lapsum hic esse calamum scribae, qui, cum poeta sic scripsisset,

παῖδες οἱ Θεσσαλίας μέγα φῶς,

perverse legerit *Θεσσαλαὶ μέγα φῶς*, quo errore porro eo adductus sit ut *παῖδες αἱ* de suo daret.

His perpensis in strophico versu recte instituendo frustra laboranti mihi feliciter accidit ut Baccharum in versu 410., qui locus nullo modo in suspicionem vocari potest, vocabuli *Πιερία* primam syllabam invenerim correptam. ibi enim sensu sanissimo, codicum scriptura integerrima sibi respondent v. 400. et v. 425.,

Πιερία μούσειος ἕδρα.
κατὰ φάος νύκτας τε φίλας.

Πιερία igitur et quaecunque eiusdem sunt stirpis est ubi primam syllabam corripuerint, perinde ac vocabulum *ἀέλιος* (Med. 1252. Trach. 835.), nostrum autem *Πιερίδες* non potest dubitari quin apte respondeat antistrophicis verbis quae sunt *παῖδες οἱ*, scilicet si positione producitur extrema syllaba.

Quod autem pro vocabulo *ἐν* manifeste spurio Kirchhoffius poni voluit *παρά*, obsequi non possum, non solum quia mihi quidem dactylo opus est sed quia hic qualiscunque praepositio nude posita locum habere omnino non posse videtur. praepositionem enim solam si admiseris, necessario sic coniunges, *Πιερίδες παρὰ* (vel *ἐν*) *δαιτὶ θεῶν ἐν γᾷ κρούουσαι ἴχνος*, unde hoc efficitur, ut Musae ad Pelei nuptias ivisse videantur in deorum convivio saltantes, quod absurdum esse non est quod moneam. quare hoc pro certo habui, substantivum aliquod vocabulum excidisse quod cum verbis *δαιτὶ θεῶν* eum in modum

iungendum sit ut una cum his appositionem exhibeat nominis *Πιερίδες* ideoque scripsi

Πιερίδες, χάρμ' ἐπὶ δαιτὶ θεῶν,

quibus optime respondet hic versus,

παῖδες οἱ Θεσσαλίας, μέγα φῶς.

Denique in eodem antistrophae loco varie a viris doctis temptato v. 1066. cum Firnhabero restitui *ἐξονόμαζεν*, in proximo versu Weilius merito *γεννάσειν* scripsisse mihi visus est, pronomen autem ante verbum *ἐξονόμαζεν* ingessi, si quidem littera C ante litteram Є excidisse probabile est.

VERS. 1122.—1140.

LIV. — Quae primo loco Clytaemnestra dicit, quid sibi filiaeque ab Agamemnone insidiarum struatur compertum se habere apertura,

φεῦ·
τίν' ἂν λάβοιμι τῶν ἐμῶν ἀρχὴν κακῶν
κτλ.,

(vers. 1124.—1126.), ea, cum Aldina et quae hanc secutae sunt editiones invitis codicibus Iphigeniae tribuant, una cum duobus praecedentibus versibus (vers. 1122 sq.) eicienda putavit Bremius aliique adsignanda huius fabulae recensioni. longioris enim orationis initium versibus 1124.—1126. contineri sibi persuasit, quare aut plura ab Iphigenia addi neque sola haec dici debuissent aut prorsus abicienda esset incohata ista oratio. Sed cum hoc nullo modo concedere possimus tum maximopere Bremius mirandus est quod, etsi ipse primus recentiorum versus illos in suspicionem vocatos Clytaemnestrae tribuendos esse vidit, ne hanc quidem idoneam duxit emendationem, quoniam his verbis,

ὥς μοι πάντες εἰς ἓν ἥκετε
σύγχυσιν ἔχοντες καὶ ταραγμὸν ὀμμάτων,

non cum una Clytaemnestra Agamemnonem colloqui aperte doceretur. Repudiavit, ut par erat, hanc argumentationem qui et

ipse Bremio in damnandis versibus adsensus est, Matthiaeus, et hanc satis habuit protulisse rationem, post tale initium Clytaemnestram continua oratione uti oportuisse, non interrogando Agamemnonem urgere. Profecto dubitari potest Matthiaeus magis vituperandus sit an Bremius, sed hoc constat, iniuria hos versus damnatos esse.

Non modo ad Bremium et Matthiaeum, quibus accurate et singillatim refutandis supersedere possum, sed etiam ad Hartungum hoc pertinet, qui gravioribus argumentis uti sibi visus est in secludendis versibus 1124.—1126. una cum voce *φεῦ*. is Hermanno, qui versus manifesto genuinos ampliore argumentatione tueri non dedignatus est locique naturam poetaeque in excogitanda componenda describenda condicione consilium pluribus exposuit, argutias exprobravit sed parum profecto cavit ne in se ipsum caderet istud opprobrium. indoctissimi enim poetae esse ait Clytaemnestram tanta doloris iraeque vi excitatam ut unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum sit nesciat subito ad tam sedatam animi tranquillitatem relabi ut circumspecte inquirendo arguere atque insidiari possit. Haec si habent aliquid momenti, nihil aliud nisi hoc efficiunt, ut poetam non satis caute quid huic loco aptum sit meditatum esse coarguant, nullo modo sufficiunt ad Euripidi versus illos prorsus abiudicandos. sed liberatur poeta omni crimine, si Clytaemnestram, ante quam Agamemnonem conveniret, domi sine dubio accurate quid dicere deberet, quomodo Agamemno circumveniendus esset perpendisse neque mirandam esse reputamus quod, etiamsi ubi primum Iphigenia prodiit dolore confusa et perturbata fuit, non adeo fracta est doloris impetu ut quod diu meditata est non bene exequatur consilium. ut vero aperte dicam quid sentiam, mihi quidem Clytaemnestra nunc non vere animo perturbata esse sed tanquam fingere animi perturbationem videtur, eo consilio ut Agamemnonis animum, qui totus Iphigeniae lacrimis occupatus est, ad se convertat. quae autem tam magnifice exclamantur non ita accipienda sunt quasi vere ambigat Clytaemnestra unde incipiendum sit, sed nihil

aliud illa dicit quam hoc, multis malis se adfectam esse eisque tam gravibus ut quod gravissimum sit dubitari debeat. unde vides me non adsentientem Monkio et Nauckio versum 1126. uncis includentibus[169]), qui autem nuperrime versus 1124.—1126. respuit, Weilius, una cum Hartungo reiectus est.

Ut igitur ab eis de quibus modo egi versibus secludendis ita ab eis qui secuntur transponendis omni modo abstinendum est. sed postquam Hermanno quidem auctore sedes commutarunt versus 1136 sq. et versus 1138 sq. in toto eo loco qui versu 1129. continetur et versu 1139. Hartungus[170]) singulos quosque versus transposuit, utpote qui parum inter se cohaerere viderentur, id quod postea Hermannus[171]) usque adeo agnovit ut ipse quoque transposuerit quoscunque versus sequentes habet Clytaemnestrae illud exordium. Nec tamen ego quidem video quomodo versus non cohaereant. Agamemnoni enim summo dolore exagitatas quid mali acciderit interroganti eo incipit satisfacere Clytaemnestra quod quaecunque ex eo quaesitura sit hortatur ut accurate respondeat, qua in hortatione quae inest ambagum suspicio ab Agamemnone severe reicitur. quaerit igitur Clytaemnestra num filiam pater necaturus sit, unde ille non modo causam cognoscit perturbationis, ut voluit, sed etiam comperta habere intellegit Clytaemnestram quaecunque ipse machinatur. et perterritus quidem exclamat vae. sed statim se revocans addit ambigua illa quae sunt v. 1132.,

τλήμονά γ' ἔλεξας, ὑπονοεῖς θ' ἃ μή σε χρή.

at nihil morata has exclamationes Clytaemnestra tacere iubet clamitantem coniugem ac linquere deverticula, directo autem ad ea respondere quae rogatus sit. Vides igitur huc usque omnia bene cohaerere, quare nullo modo ad transponendos versus confugiendum est. quod autem in versu monometro

169) Antiquo interpolatori item Vitzius hunc versum tribuit l. l. II. pag. 12.

170) Magnam sibi paravit laudem Vitzii l. l. II. pag. 4.

171) De interpp. I. in Aul. II. pag. 9.

ἔχ' ἥσυχος, ut videtur, offenderunt, unde ante haec verba Hartungus Kirchhoffius Weilius, post versiculum nuper G. Dindorfius aliqua excidisse suspicati sunt, ex ipsis autem eis verbis quae adsunt supplementum petebant Boeckhius[172]) Matthiaeus Hermannus[173]) utpote glossatoris operam suspicati: ego quidem ut aliam quamque ita hanc exclamationem extra versum poni posse censeo[174]).

Sed ut ad enarrationem revertamur, iterum respondendi necessitatem fugere studens postquam iterum ab uxore retentus est plane desperans Agamemno fatum suum obtestatur adversamque fortunam, quibus auditis Clytaemnestra suam fortunam addit filiaeque. et iterum animum colligens ille per dissimulationem quaerit: *qua tandem iniuria adfecta es?* cum Clytaemnestra omnibus missis ambagibus *hoc*, inquit, *ex me quaeris? ista tua conscientia nonne ipsa habet conscientiam iniuriae?*

τοῦτ' ἐμοῦ πεύθει πάρα;
ὁ νοῦς ὅδ' αὐτὸς νοῦν ἔχων οὐ τυγχάνει;

quae ita sunt comparata ut de iure Agamemno infitias ire desistat, quod eo versu aperit qui sequitur:

ἀπωλόμεσθα. προδέδοται τὰ κρυπτά μου.

Quid quaeso his inest inepti aut inconcinni? Apparet autem ansam dedisse dubitandi versus 1138 sq., quos non satis bene perspexerunt. atque in priore quidem versu, quem plane corruptum praebent libri, ducem secutus codicem Palatinum scribere non dubitavi quod diserte requisivit sententia, τί δ' ἠδίκησαι, quod idem restituit Matthiaeus. quem autem quod non intellexerunt mirari subit versum alterum patet interrogando dictum esse, ut supra monstrasse mihi videor.

VERS. 1162 sq.

LV. — Recte iudicasse mihi videtur olim G. Dindorfius

172) Gr. tr. pr. pag. 294.

173) De interpp. l. c.

174) cf. O. C. 1271. τί σιγᾷς; quae extra versum posita sunt perinde atque illa ἔχ' ἥσυχος.

cum hos versus dixit eiciendos esse. mihi quidem persuadere non possum ab ipso Euripide tres deinceps versus positos esse in eandem syllabam terminatos, quod contra grammaticum aliquem vel si quem alium his rebus operam dedisse putas tale quid adscripsisse facile potest conici, sive ab ipso illo homine haec inventa esse sive aliunde sumpta in margine adsimulata esse tibi videntur.

VERS. 1178.—1208.

LVI. — Vides igitur de eo Dindorfio me adsentientem quod ante hos triginta annos suspicatus ipse nunc respuit, verum quam primum tunc relatam huc usque temporis tenuit sententiam, ut eos versus qui sunt vers. 1178.—1208. eidem tribuendos censeret interpolatori qui Achillis orationes versibus 938.—974. auxisset et versibus 1017.—1023., non magis ausim tueri quam illas de amplificatis Achillis orationibus sententias [175]. nimirum et ipse frustra laboro in eis reperiendis quae gravem illam moveant suspicionem et ne Dindorfius quidem quicquam attulit quo fraudem interpolatoris vere coarguat, quoniam quaecunque reprehendit aperte vitia sunt librariorum. Ac mihi quidem non plus tres versus ut ab interpolatore profecti videntur notandi, de quibus infra dicendum erit, postea scilicet quam de loco egero varie temptato qui est vers. 1179 sqq.

Ac primum quidem hoc opinor concedendum est, quod versus 1179. habet suspecti nullo modo, id quod voluit G. Dindorfius, in culpa poni posse eius qui totum composuit locum, si quidem cuiuscunque aetatis Graeci videntur diiudicare potuisse quid intersit inter *πρὸς τοὺς δόμους* et *πρὸς τοῖς δόμοις*. quae cum ita sint, aperti vitii remedium nobis quaerentibus, praesertim cum ea quoque quae secuntur ne cogitari quidem possit quomodo cum hoc versu cohaereant, necessario in mentem veniet idem quod coniecerunt Matthiaeus et Hartungus, inter versum 1179. et versum 1180. versiculum ex-

[175]) Aliter iudicavit Vitzius l. l. II. pag. 12.

cidisse. aliam quidem praeter alios rationem inierunt L. Dindorfius [176]), qui mutandis singulis litteris, et Kirchhoffius [177]), qui tam versibus transponendis quam verbis mutandis sanam sententiam ac cohaerentiam revocare studuit: sed quoniam uterque eorum nimiam non potuit vitare obscuritatem, id quod necessario accidit cuicunque videtur a statuenda lacuna abstinendum esse, non potui non tenere quod ipse conieci. Neque tamen audiendus videtur Hartungus, qui ut quem ipse sibi finxit induceret versum satis ineptum mutatione carere non potuit in versu 1179., multo melius Matthiaeus indicare satis habuit quod putavit in deperdito versu fuisse, *πάλιν ἀφίξει*. Verum quid exciderit minime potest dubitari, si quidem non modo quae antecedunt sed prae ceteris quae secuntur quid desit in ordine sententiarum accuratissime indicant. nimirum ea apparet lacuna exhausta esse quibus ad ea respondebatur quae v. 1173. quaerit ipsa Clytaemnestra: quo animo erga te me esse putas? his enim postquam addidit quam amiserit filiam ut interfectoris patris minime immemor semper luctura sit, *tale*, inquit, *meae erga te benevolentiae praemium si reliqueris, ne putes domum reversum me tibi benevolam te inventurum esse*: nam levi sane opus erit praetextu, i. e. facile reperietur praetextus, quo ut debebo te accipiam. His igitur reputatis in extremo versu 1178. plene interpungens haec temptavi:

τοιόνδε μισθὸν καταλιπών, πρὸς τοὺς δόμους
εὖ χρώμενός μοι μῶν δοκεῖς ἥξειν πάλιν;
ἐπεὶ βραχείας κτλ.

Nec tamen in his acquiescendum est, si quidem aperto vitio laborat versus 1180., quem quod fuerunt qui sanum putarent

[176]) *τοιόνδε μῦθον καταλιπὼν πρὸς τοὺς δόμους*
ἔπει· βραχείας προφάσεως ἐνδεῖ μόνον
κτλ.

[177]) *αὐτὸς κτανών, οὐκ ἄλλος οὐδ' ἄλλῃ χερί·*
ἐπεὶ βραχείας προφάσεως ἔδει μόνον.
τοιόνδε μισθὸν καταλιπὼν πρόσει δόμους;
ἐφ' ᾧ σ' ἐγὼ κτλ.

non possum satis mirari. ceterum quae causa fuerit illius temeritatis facile intellegitur. mire enim ea quae insunt versibus 1181 sq. ita acceperunt quasi dicta essent de Agamemnone bene accipiendo. neque igitur filias nisi mortua Iphigenia non posse superstites dici neque verborum coacervationem qualis inest versui 1182., id quod optime doceri poterant Bacch. 955. et nostrae quoque fabulae v. 721., animi commotioris atque hominis minitantis esse reputarunt. qui autem perversam istam tuentur opinionem, quoniam eum quem fingere debuerit Agamemno filiae servandae causa praetextum intellegant necesse est, apparet eos facile tenere posse tempus imperfectum ἔδει. ita igitur Firnhaberus et Klotzius, ita primo etiam Hermannus, qui postea se falsum esse videtur intellexisse[178]. maxime autem mirandus est Matthiaeus, qui bene quidem perspexit versus 1181 sq., verum ad Agamemnonem retulit versum 1180., et ita quidem ut hunc erueret sensum: *tam parum liberos amabas ut levi tantummodo causa opus tibi esset ad occidendam filiam: quare male te accipiemus.* lapsum igitur esse virum doctissimum cum alia docent, in quibus horrenda ista brevitas, tum verba ἐφ' ᾗ mirum quantum perversam interpretationem passa. Totius loci naturam, quae qualis sit supra indicavi, primus recte, ut videtur, perspexit Reiskius, qui quod temporis imperfecti, nullo modo illius quidem ferendi, loco ingessit tempus praesens ἐνδεῖ eorum qui ita ut debebant hunc locum interpretati sunt receperunt paene omnes, velut L. Dindorfius Hartungus Hermannus Weilius. sunt tamen qui dubitent, et mihi quoque et graviorem vim habere videtur verbum ἐνδεῖ quam quod apte vice fungatur verbi δεῖ et nimis distincte ac confidenter de posita aliqua neque dum absoluta condicione dictus videtur modus indicativus. itaque vix dubito quin Euripides dixerit δεοίμεθ' ἄν. quod cum in recentiore aliquo codice scriptum esset δεοιμεθαν, librarii alicuius neglegentia opinor mutatum est in δεοιμονον, quem so-

178) De interpp. I. in Aul. II. pag. 10.

loecismum respuens corrector aliquis posterioris aetatis leni mutatione usus reposuerit ἔδει μόνον.

Haec igitur et quae de proximo versu dixi si probabiliter disputata sunt, sic fere hunc locum restituerim:

τοιόνδε μισθὸν καταλιπών, πρὸς τοὺς δόμους
[εὖ χρώμενός μοι μῶν δοκεῖς ἥξειν πάλιν;]
ἐπεὶ βραχείας προφάσεως δεοίμεθ' ἂν
ἐφ' ᾗ σ' ἐγὼ καὶ παῖδες αἱ λελειμμέναι
δεξόμεθα δέξιν ἥν σε δέξασθαι χρεών.

Postquam igitur omni modo coniugem monuit ut caveat filiam immolare Clytaemnestra ut immolationem istam ipsi ei cui profutura esse videatur expeditioni maximo malo futuram ideoque virginem servandam esse doceat Iphigeniam immolatam esse fingens deos negat propitios esse posse rebus talibus auspiciis gerendis[179]. quae res cum alienissimae sint a patris liberorumque amplexibus, necessario offendendum esse apparet in versibus 1191.—1193. sed cum patrem filiae interfectorem quomodo mater et sorores domi excepturae sint supra praedixerit ipsa Clytaemnestra graviora minitans negatis amplexibus, non modo supervacanei sunt sed ne ferri quidem possunt isti versus. Recte autem ita iudicari luculente docent ea quae statim secuntur. ibi enim Clytaemnestra ex Agamemnone quaerit num ille quae ipsa modo exposuit in contione disseruerit[180], quod

179) νόστον quod est in versu 1187. moneo non de solo reditu accipiendum esse, quippe quod simpliciter de expeditione dicitur, ut vers. 966. 1261. Rh. 427., νοστεῖν Hel. 474. 891.

180) Hermannum, qui recte quidem reposuit ἦλθες, et quos ille habuit sectatores, Hartungum Klotzium Weilium, fefellisse videtur opinio qua ea quae sunt ταῦτα διὰ λόγων ἦλθες ita acceperunt quasi ex Agamemnone quaeratur num haec secum reputaverit. sed hoc si intellegi voluisset Euripides addidisset opinor σαυτῷ, si quidem non nisi si additum erit translationis indicium de translato quisquam cogitabit sensu ubi optime locum habet sensus proprius. confirmatur haec sententia, quae item Matthiaei et Firnhaberi est, eis exemplis quae collegit Elmsleius Med. 842.

quoniam ridicule interrogaretur nisi ad ea tantum quae ante versum 1191. exposita sunt referretur, conficitur ut abicienda sint quaecunque intercesserunt inter versum 1194. et versum 1191.

His autem statutis nihil aliud nisi quam decebat concinnitatem Clytaemnestrae orationi parari vix est quod moneam. postquam priore enim parte summa iniuria, quae non nisi summo supplicio lui possit, matrem adfici expositum est, altera pars in eo versatur ut non modo non quod sibi comparare videantur commodum sed incommoda tantum demonstretur ex filiae immolatione redundatura esse, qua de re Graecos monere debuerit Agamemno, nisi iusto pluris ut summum imperium teneret illius interfuerit. in eis autem quae de recta addit qua Dianae voluntati satisfieri debuerit ratione quod quae de suae filiae immolatione deis non accepta dicit, eadem in aliarum immolationes cadere Clytaemnestra secum non reputavit: tam accurate mores cognitos habuisse mulierum Euripidem quam egregie matrum erga liberos amorem descripsisse concedendum est.

Sed his quamvis arte cohaerentibus cur sua iniecerit interpolator ab hoc loco alienissima inde petenda videtur causa quod hoc quoque loco quaecunque adferuntur a Clytaemnestra, etsi res sunt omnibus Graecis communes, ad solum tamen referuntur Agamemnonem, quippe qui summus est dux isque coniunx cuius verba sunt, Clytaemnestrae, unde factum videtur ut de solius Agamemnonis rebus cogitans parum diligens interpolator inculcaverit quae Agamemnonem prae ceteris rebus moneri voluerit.

Ceterum vestigia interpolatoris forsitan in sermone quoque insint tertii quidem versus, qui, cum sic se habeat in libris,

παίδων σ᾽, ἐὰν αὐτῶν προθέμενος κτάνῃς τινά,

duplicem praebet offensionem. quanquam, ut verbi *προθέμενος* insolitam significationem, quae aliam nisi exponendi notionem hoc quidem loco merito exprimere non potest, falsario tribuam, num coniunctionis *ἐάν* quae vera sit mensura nescierit vehementer dubito. Tamen, utcunque iudicatur, hoc mihi quidem persuasum habeo, eundem quem in proxima fabulae parte prae

aliis grammaticis grassatum esse vidimus neque minus eas partes quae secuntur addidamentis suis auxisse intellegemus interpolatorem huic quoque loco operae suae signa impressisse.

VERS. 1211 sqq.

LVII. — Non est mirandum opinor quod hi versus valde similes sunt eorum qui sunt Alcest. 357 sqq., neque in eo offendendum est quod poeta videtur se ipse imitatus esse, id quod illum non nimis cavisse alio quoque huius fabulae loco monendum est[181]). immerito igitur hunc locum in suspicionem vocavit Boeckhius[182]), mutavit et contraxit Hermannus[183]).

V. 1237.

LVIII. — Etsi non aperte obloquar Matthiaeo et Hartungo hunc versum e genuinis relegantibus, quoniam et numeros habet neglegentissime factos et ipse quoque si abesset non desideraretur, id quod cum Hartungo teneo refragante licet Hermanno, tamen, si quidem neque vere vitiosus est neque sententiam praebet prorsus improbabilem, ea desunt unde potestas fit qualiacunque abiciendi.

V. 1240.

LIX. — Optimum huic versui, qui suspectus visus est Nauckio, praesidium paratur a Klotzio, qui illud *ἵν᾽ ἀλλὰ τοῦτο κατθανοῦσ᾽ ἔχω σέθεν* monuit quam ieiune dicatur, si cui solum adhibeatur. quanquam mihi quidem videtur ne ferri

181) vid. hui. lib. pag. 174.

182) Gr. tr. pr. pag. 257.

183) De interpp. I. in Aul. II. pag. 10. sic scripsit Herm.

εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον,
πείθειν ἐπᾴδουσ᾽ οὓς ἐβουλόμην λόγοις,
ἐνταῦθ᾽ ἂν ἦλθον.

quidem posse τοῦτο σέθεν simpliciter dictum pro τοῦτο παρὰ σοῦ aut pro eo quod est τοῦτο τῶν παρὰ σοῦ vel τοῦτο τῶν σῶν.

V. 1248.

LX. — Hoc quoque loco illud lubenter concedo Nauckio G. Dindorfio Weilio, offendendum videri in vocabulo ἐστίν, cuius loco et ipse οὗτος[184]) vel tale quid legi vellem: sed lacunam dimidio versu ampliorem quam male hemistichio expleverit aliquis grammaticus si quis post vocem νεοσσός cum Hartungo statuit, in quam sententiam discessisse videtur etiam G. Dindorfius, iniuriam facit manifesto. neque enim in sententia offendi potest, in qua opinione fuit Hartungus, neque, id quod Dindorfius protulit, sequentis versus verba non apte cum praecedentibus copulata sunt, si quidem, ut in eo quod altero loco posui refutando acquiescam, non ad ea quae secuntur, quippe quae mora quadam facta loquendi novi quid adferunt idque ultimum subsidium, sed ad ea sunt referenda quae proxime antecedunt, utpote quibus clausulam imponunt una cum versu 1247.

VERS. 1255.—1275.

LXI. — Varie identidem suspecta varieque addidamentis aucta illius interpolatoris quem proxime Clytaemnestrae orationem augentem deprehendimus oratio videtur quae a v. 1255. sequitur Agamemnonis, id quod usque adeo agnovit G. Dindorfius ut quaecunque libri post versum 1263. addunt secludi iuberet, sine idonea causa, ut consentaneum est.

Mihi suspicionem eamque gravissimam primum hoc movet, quod quae versibus 1264.—1266. continentur aperte pugnant cum eis quae sunt vers. 1273.—1275. quorum quae priore loco posui dubium esse non potest quin contemptim dicantur quam-

184) In eandem coniecturam incidisse video Hermannum l. l.

que Graeci facere sibi proposuerunt expeditionem fere risui dare studeant, quod contra eis quae ab eodem homine praedicantur vers. 1273.—1275. cum animi quadam elatione sanctaque cum gravitate agitur eadem de re. haec autem, sive quae vere sentit aperuisse Agamemno sive per simulationem locutus esse tibi videtur, quoniam ita sunt comparata ut, quidcunque ad Clytaemnestrae et Iphigeniae animos in praesens mutandos conferunt, veram ac diuturnam mutationem efficere non possint post contemptim illa dicta, aut illorum auctoritate liberari aut ipsa loco cedere debent. utrum verius sit, scilicet uter locus interpolatoris sit, ex singulis colligi potest expendendis.

Quae autem versibus 1264.—1266. continentur neque est cur adsint, quoniam quae hoc loco Agamemno narrat Clytaemnestrae notissima esse et aliunde constat et putabatur ab eo qui tres scripsit eos versus qui proxime antecedunt, neque prudenter sunt dicta, quippe quibus quam Graeci habeant bellandi cupiditatem reprehendens Agamemno Clytaemnestrae nimiam facit potestatem clamitandi et accusandi. at quae altero loco dicuntur cum nihil praebeant quod reprehendi possit tum et ipsa ea adferunt quibus nihil his quidem rebus aptius dici potest et multum inde habent fidei quod quem a v. 1378. Iphigenia ex summo mortis timore subito quamvis diu meditata magnum ac fortem praestat animum summumque pro patria moriendi studium dubitari vix potest quin pater filiae excitaverit oratione sua patriae amore plena[185]).

Cum igitur horum locorum uter interpolatori tribuendus sit ambigi non possit, item reliquos versus quoscunque deprehendimus cum extrema oratione pugnantes spurios inveniri consentaneum est. nimirum versus 1267 sq., summi timoris

185) Ceterum his quae indicavi qui sine ira et studio secum reputaverint cavebunt opinor amplius adsentiri Aristoteli (Poet. XV. 9.), qui iudicavit sine causa praeterque similitudinem veri ab Euripide Iphigeniae animum, qui mollis ac tenuis describitur initio fabulae, paene in contrarium mutatum esse sub fabulae fine.

illi quidem atque erga se ipsum amoris testes, iuxta versus 1273.—1275., quae ex eis elucet magnanimitas, stare non possunt, sed, cum, quidcunque vere sensit, prae timore se filiam immolaturum esse ipse uxori aperuisse Agamemno vix possit putari, una cum eis qui proxime antecedunt abiciendi sunt, qua in re Hermannum ita habes adsentientem ut duos extremos versus, de quibus hic agitur, secludas ab illo praemonitus[186].

Quae cum ita sint, non est dubitandum quin qui uno tenore sese excipiunt versus spurii ab eodem profecti sunt interpolatore, qui nimis memor eius timoris quem vers. 531 sqq. plane desperans Agamemno coram fratre profiteri visus est Clytaemnestrae etiam humiliorem animum ab illo praestari oportere putavit, qua in re et hoc neglexit, quem aperte ostenderit fratri timorem non potuisse coram Clytaemnestra illum prae se ferre, id quod ab ipso Euripide debuit doceri, neque omnino quae versibus 532 sqq. dicuntur satis accurate perspexit, quod idem accidit G. Dindorfio, qui perinde atque interpolator sola crudelitate atque ulciscendi cupiditate commotos Graecos in Iphigeniae caede non acquieturos dici putavit[187].

Verum ut ars interpolatoris omni ex parte accurate appareat, sermonis quoque insunt vitia non ita levia, quae res non potest non recentioris hominis indicio esse. Pertinet huc mira illa locutio quae est *Ἀφροδίτη τις μέμηνε τῷ τῶν Ἑλλήνων στρατῷ πλεῖν ὡς τάχιστα* v. 1264., quae, quocunque modo casum tertium accipis, aspera est ac rudis eoque magis miranda quo aptius usitatissimum illud usurpari potuit *ἔμηνε* transitivum. *ἔμηνε δ' Ἀφροδίτη τις Ἑλλήνων στρατόν* scribi iusserat olim Lobeckius, qui postquam opinor usitatissimum cum inusitato eoque ineptissimo mutare nemini in mentem venire potuisse intellexit quod coniecerat ipse respuit. quae autem alii proposuerunt in ista locutione offendentes, quoniam ne litterarum quidem similitudine ea commendantur, mittere liceat.

---

[186]) De interpp. l. in Aul. II. pag. 10.
[187]) Qua de re monui hui. libelli pag. 74.

nam interpolatoris condonamus inertiae quae minime ferremus in versibus ab Euripide compositis. His autem concessis vox *Ἀφροδίτη*, quae in eodem est versu 1264., nullo modo eicienda nec qualicunque modo compensanda est, etsi fuerunt qui nimis admirarentur quam Veneris nomen hoc loco usurpavit significationem. quam vero deam multiplicaverat Sophocles, id quod docemur Soph. fr. 788. Nck.,

ὦ θεοί, τίς ἄρα Κύπρις ἢ τίς ἵμερος
τοῦδε ξυνήψατο;

multiplicatam autem in rei sive qualitatis notionem attenuaverat Euripides, ut Phoen. 399.,

ἔχουσιν (*αἱ ἐλπίδες*) *Ἀφροδίτην τιν' ἡδεῖαν κακῶν*,

simili modo eam inducere licuerit homini recentiori[188]. Quae vero nullo modo excusari posse videtur his verbis inest neglegentia, *θέσφατ' εἰ λύσω θεᾶς*, quae sunt v. 1268. cum enim oraculum vel dei cuiusquam iussum solvi non possit nisi eis quae praedicta sunt eventu comprobatis, si quidem ita in utramque spectant partem quaecunque praedicuntur ut, quicquid evenit, nunquam irrita fiant, sicut hac in fabula, sive immolaverit sive servaverit Agamemno Iphigeniam, quae a Diana sunt edita comprobabuntur, sive expedita sive impedita navigatione: quae cum ita sint, non potest dubitari quin *θέσφατα λύειν* hoc loco vitiose dictum sit, id quod eo confirmatur loco qui est vers. 1484 sqq., ubi simile illud *θέσφατ' ἐξαλείψω* ita dictum est de oraculo expungendo ut deae iussa intellegantur exequenda.

Seclusis autem quinque his versibus 1264.—1268. mire profecto comprobari videtur id quod adsentiente Hartungo, refragante Hermanno coniecit Marklandus, versum 1263. praemittendum esse versui 1262. nimirum quod ille requisivit sententiae suadente concinnitate nunc sonorum postulat elegantia, quippe quae in easdem syllabas terminatos versus re-

---

[188]) De multiplicatis deorum personis vide quae Schoemannus dixit antiquitatum Graecarum vol. II. pag. 132 sq.

spuat sese excipientes, quae sonorum asperitas non posset non effici versuum 1263. et 1269. concursione. Ne tamen silentio praetermittamus quam inde versus 1263. habet suspicionem quod male adsutus eis quae antecedunt excipitur spuriis, forsitan non prorsus reiciendus sit si quis tam hunc quam quinque alteros versus interpolatori tribuit.

Nunc investigatis et repulsis interpolatoris petulantiis offendimus in versu 1270., quem dubito quidem num eidem tribuam falsario sed spurium ducere minime dubito. Nimirum non modo plane inutilis est hic versus, quippe qui fere eadem quae proximus versus profert, sed etiam magnam eo praebet offensionem quod peculiarem quam continet enuntiationem inter versum 1269. et versum 1271. iniciens fortissimo est impedimento quominus ea quae sunt *καταδεδούλωταί με* per logices et grammatices leges ad ea referri liceat quae non minus quam *οὐ Μενέλεως* illuc spectant, *ἀλλ' Ἑλλάς*. et quod altero loco posui fraudem satis accurate coarguere apparet, quare spurius sit versus an corruptus minime ambigo cum Nauckio, quod autem prius monui, inde adducor ut missa interpolatoris illius suspicione de glossemate cogitem librarii vel metrici alicuius inertia male in poetae verba recepto.

DE CARM. COMMAT. VERS. 1276.—1335.

LXII. — Quod Agamemnonis orationem excipit carmen melicum exordium sumit a systemate anapaestico, cui praemittitur monometer dochmiacus. secuntur anapaestos numeris fere trochaicis compositae periodi quinque, pari circuitu fere omnes, quae quanquam numerorum ipsum concentum eo respuunt quod in una, quae est secunda, trochaica cola excipiuntur quattuor colis dactylicis, in extrema trochaicis tribus tetrapodiis tres succedunt tetrapodiae iambicae. hanc tamen rationem secuntur omnes, ut singulae cuiusque in fine hexapodia sit iambica acatalecta. quae tanta est compositionis similitudo ut cer-

tum consilium poeta videatur secutus esse in carmine componendo. Hoc autem quam sit egregium quantaque cum arte ad doloris significandum impetum animique exprimendam concitationem comparatum bene cognoscitur a periodorum illarum quintae versu medio (v. 1315.), ubi una cum iambicis numeris concitato animo convenientissimis primum adlitterationes inducuntur et ipsa etiam *ὁμοιοτέλευτα*, optime autem intellegitur in ea quae sequitur parte anapaestica (vers. 1319.—1329.), tam adlitterationibus quam homoeoteleutis illa quidem insigni, neque ullo modo neglegi potest in trochaicis illis quibus finis imponitur melicis.

Verum haec hactenus. sed hoc quoque carmen, ut brevis sim et distincte loquar, virorum doctorum receptis in quibus acquiescendum videtur mutationibus transcribo paene totum.

Ἰὼ ἰώ.
νιφόβολον νάπος Φρυγῶν Ἴδας τ'
ὄρεα, Πρίαμος ὅθι ποτὲ βρέφος ἁπαλὸν ἔβαλε
ματρὸς ἀποπρὸ νοσφίσας
ἐπὶ μόρῳ θαναιόεντι
Πάριν, ὃς Ἰδαῖος
Ἰδαῖος ἐλέγετ' ἐλέγει' ἐν Φρυγῶν πόλει.

μή ποτ' ὤφελεν τὸν ἀμφὶ
βουσὶ βουκόλον τραφέντα
οἰκίσαι ἀμφὶ τὸ λευκὸν ὕδωρ, ὅθι
κρῆναι Νυμφᾶν κεῖνται
λειμών τ' ἄνθεσι θάλλων
χλωροῖς, οὗ ῥοδόεντα
ἄνθε' ὑακίνθινά ιε θεαῖσιν δρέπειν.

† *ἔνθα ποτὲ Παλλὰς ἔμολε*
† *καὶ δολιόφρων Κύπρις*
† *Ἥρα θ' Ἑρμᾶς θ'*
† *ὁ Διὸς ἄγγελος,*
ἁ μὲν ἐπὶ πόθῳ τρυφῶσα

Κύπρις, ἃ δὲ δουρὶ Παλλάς,
Ἥρα τε Διὸς ἄνακτος εὐναῖς βασιλίσιν,

κρίσιν ἐπὶ στυγνὰν ἔριν τε
καλλονᾶς, ἐμοὶ δὲ θάνατον
ὄνομα μὲν φέροντα
Δαναΐδαισιν, ὦ κόραι.
ΧΟ. *πρόθυμά σ᾽ ἔλαβεν Ἄρτεμις πρὸς Ἴλιον.*

ΙΦ. *ὁ δὲ τεκών με τὰν τάλαιναν,*
ὦ μᾶτερ ὦ μᾶτερ,
οἴχεται προδοὺς ἔρημον.
ὦ δυστάλαιν᾽ ἐγώ, πικρὰν
πικρὰν ἰδοῦσα δυσελέναν
φονεύομαι διόλλυμαι,
σφαγαῖσιν ἀνοσίοισιν ἀνοσίου πατρός.

Μή μοι ναῶν χαλκεμβολάδων
πρύμνας ἅδ᾽ Αὐλὶς δέξασθαι
τούσδ᾽ εἰς ὅρμους εἰς Τροίαν
ὤφελεν ἐλάταν πομπαίαν,
μηδ᾽ ἀνταίαν πνεῦσαι πομπὰν
Ζεύς, μειλίσσων
αὖραν ἄλλοις ἄλλαν θνατῶν
λαίφεσι χαίρειν,
τοῖς δ᾽ ἐξορμᾶν, τοῖς δὲ στέλλειν,
τοῖσι δὲ μέλλειν.

Ἦ πολύμοχθον ἄρ᾽ ἦν γένος ἦ πολύμοχθον
ἁμερίων, τὸ χρεὼν δέ τι δύσποτμον
ἀνδράσιν ἀνευρεῖν.
ἰὼ ἰώ.
μεγάλα πάθεα μεγάλα δ᾽ ἄχεα
Δαναΐδαις τιθεῖσα Τυνδαρὶς κόρα.

v. 1284. *νάπος Φρυγῶν* scripsi. sedes commutarunt haec verba in libris.

v. 1292. *τραφέντα* scripsi cum Hartungo. *τραφέντ᾽ Ἀλέξανδρον* libri. *Ἀλέξανδρον* eiecit Monkius.

v. 1297. *ῥοδόεντα* recte restituunt pro eo quod in libris est, *ῥοδόεντ᾽*.

vers. 1300.—1303. Hunc locum num corruptum ducam an lacunae compensandae causa ab interpolatore additum iterum iterumque dubito.

v. 1306. *εὐναῖς* scripsi cum Monkio. *εὐναῖσι* libri.

vers. 1323 sq. In libris sic scriptum est,

μηδ᾽ ἀνταίαν Εὐρίπῳ
πνεῦσαι πομπὰν Ζεὺς μειλίσσων.

neque tamen scio an non recte dictum sit *ἀνταίαν Εὐρίπῳ*. quoniam enim hoc mihi persuasum habeo, mundi ac terrae regionibus non esse partes adversas aut aversas, non possum adduci ut ventos partim a tergo partim ex adverso earum flare credam, unde sequitur ut vocem *Εὐρίπῳ* pro glossemate habeam a grammatico aliquo vocabulo *ἀνταίαν* adscripto. deleta autem illa voce non modo versuum in consonantes sibi syllabas exeuntium bene continuatur quae paroemiaco isto male interrumpitur series sed novum quoque efficitur homoeoteleuton,

μηδ᾽ ἀνταίαν πνεῦσαι πομπάν.

v. 1326. Hunc versum in libris excipiunt haec, *τοῖς δὲ λύπαν, τοῖς δ᾽ ἀνάγκαν*, quae, si quidem nullo modo possunt ita cum ceteris coniungi ut sanum praebeant sensum, non dubito quin alieni cuiusdam sint addidamenta adsimulandi causa in margine adscripta. His secretis quae relincuntur genuina ita sunt accipienda ut *ἄλλοις ἄλλαν* et praeponatur, quippe totum singulis partibus, et in aequo ponatur tribus illis quibus excipitur *τοῖς δέ*. nimirum hanc verborum structuram opinor in mente habens Euripides, *ἄλλοις θνητοῖς ἄλλην αὖραν μειλίσσων, τοῖς μὲν ὥστε λαίφεσι αὐτοὺς χαίρειν, τοῖς δὲ ὥστε ἐξορμᾶν αὐτούς κτλ.*, tanquam in unum contraxit quas non ita ut debebat distinxit totam rem eiusque partes. Ceterum

consulto poeta ita instituisse videtur ut *λαίφεσι χαίρειν* et *τοῖς δὲ στέλλειν, τοῖς δ' ἐξορμᾶν* et *τοῖσι δὲ μέλλειν* inter se opponantur, id quod praeter rem ipsam suadet qui singulorum est ordo.

V. 1344.

LXIII. — Non est cur adsentiamur Hartungo, qui hunc versum stichomythiae lege damnari putavit. nimirum et hoc neglexit vir doctus, duobus his Clytaemnestrae versibus quoniam finis imponitur matris cum filia colloquio, alterum eorum tanquam in commissura positum esse duarum scenarum, neque hoc satis secum reputavit, aspere dici quae priore ait versu Clytaemnestra non addito altero. Apparet igitur retinendum esse hunc versum, neque tamen minus dubium est quin vitiosi quid irrepserit, id quod monuit Hermannus, infitiari frustra conati sunt Firnhaberus et Klotzius. remedium vero neque quod ab Hermanno propositum est,

ἀλλὰ μίμν'· οὐ σεμνότητος ἔργον ἵν' ὀδυνώμεθα,

neque quod Weilio debetur,

ἀλλὰ μίμν'· οὐ σεμνότητος ἔργον ἀνδυώμεθα,

mihi quidem probari potuit, quare ipse quid valeam periclitatus sum. forsitan igitur sic scribendum sit,

ἀλλὰ μίμνε· σεμνότητος ἔργον ᾗ δυνώμεθα.

haec quid sibi velint intelleges, nisi immemor eris versus 997., ubi eadem brevitate utens Clytaemnestra *ὅμως δὲ* inquit *ὅσον γε δυνατὸν αἰδεῖσθαι χρεών*, non nimis pudicum esse deberi dicens. ut igitur illic, tantum, inquit, quantum fieri potest pudicum esse oportet, ita hic, pudicae esse debemus, ait, ubicunque possumus. quae tam breviter dicta consentaneum est non perspecta esse grammaticis recentioribus, unde factum videtur ut ingesta sit particula *οὐ*, *ηιδυνωμεθα* autem facillime pro *ηνδυνωμεθα* accipi potuisse non est quod moneam. Ceterum ne in hoc ipso offendas *ᾗ δυνώμεθα*, compara Med. 516., *χρυσοῦ μὲν ὃς κίβδηλος ᾖ τεκμήρια ὤπασας σαφῆ*, Orest. 805., *ἀνὴρ ὅστις τρόποισι συντακῇ*, Ion. 856., *τῶν ἐλευθέρων οὐδεὶς κακίων δοῦλος ὅστις ἐσθλὸς ᾖ*, Hipp. 427. 527.

VERS. 1380.—1382.

LXIV. — Qui in his versibus tertium tenet locum perinde atque Hermannus[189]) praemonentibus Hartungo et Monkio non dubito quin non sit Euripidis, quam suspicionem cum movet vocabulum *ὄλεθρος* in qua minime decebat re adhibitum tum praeter numeros misere neglectos nimis leve suadet argumentum. qui autem primo et secundo loco positi sunt versus, etsi aperte sunt corrupti, quomodo tamen recte restituantur in omne aevum ambigetur. Ac Weilius quidem satis audacter parumque probabiliter haec coniecit,

τάς τε μελλούσας γυναῖκας μή τι δρῶσι βάρβαροι
μηδ' ἔθ' ἁρπάζωσιν εὐνὰς ὀλβίας ἐξ Ἑλλάδος,

Kirchhoffio deinde ante versum 1381. nonnulla deesse visa sunt, Hermannus autem sic in unum contraxit hos duos versus,

τάς τε μελλούσας γυναῖκας μηκέθ' ἁρπάζειν ἐᾶν,

qua in coniectura nescio an hoc immerito neglexerit vir egregius, passivo opus esse *ἁρπάζεσθαι*. ut silentio praetermittam miseram quam non vitato quo Hermannus lapsus est peccato Hartungus adhibuit medicinam, mihi quidem, postquam ea quae sunt *ἤν τι δρῶσι βάρβαροι* intellexi omnino ferri non posse, quia ipsam illam iniuriam quam quominus iterum barbari mulieribus inferant hac ipsa expeditione Graeci impedituri sunt facta expeditione rebusque bene gestis iterum iterumque fieri fingunt, versus 1380. in codice aliquo archetypo videtur mutilatus fuisse malamque refectionem expertus esse emendatoris. nimirum fere hanc ille versus praebuerit speciem,

τας τε μελλουσας γυναικας . . . . βαρβαρ . . . .

in quibus recte reficiendis eo quidem nomine suppeditabat qui sequitur versus ut scribendum esse doceret *βαρβάρους*.

---

189) De interpoll. I. in Aul. II. pag. 11.

VERS. 1405.—1433.

LXV. — Hunc locum qui mutatis versuum sedibus aut execatis compluribus partibus varie temptarunt viri docti vehementer vereor ne falsi sint ad unum omnes, si quidem et ea respuerint quae et apte dicta sunt neque deesse possunt, et eum turbaverint versuum ordinem quo nihil cogitari potest magis genuinum. Sunt tamen hic quoque in quibus minime dubitem offendere. quae suo quidque loco enumerabo singula.

Atque idem quod modo conieci de versu 1380. quin versui 1407. acciderit nullo modo potest dubitari. nam cum bene quidem Achilles Graeciae se invidere dicat Iphigeniam, quippe quae pro patria modo se morti obtulerit, sed cur virgini Graeciam invideat, praesertim cum utriusque eadem patria sit, ne cogitari quidem possit causa: illud quod est *Ἑλλάδος δὲ σέ* nihil aliud esse apparet quam truncati versus infeliciter factum supplementum. quod etsi viros doctos fugisse miror, magis miror quod fuerunt quibus ad hunc locum in mentem veniret adsimulare Androm. versus 328 sq.,

οὐκ ἀξιῶ
οὔτ' οὖν σὲ Τροίας οὔτε σοῦ Τροίαν ἔτι.

Versus 1409 sq., quos, quoniam pluribus exponunt quae proximo versu paucis indicata sunt, causam adferre apparet cur Iphigenia summa digna videatur admiratione, molestissimi sunt propterea quod hoc tantum commemorantes, potentissimorum deorum voluntati diraeque necessitati Iphigeniam cessisse, id quod, si quidem vitari non potest, ne dignum quidem laude videtur, silentio praetermittunt illud quod solum debebat respici, patriae amore commotam publicaeque saluti suam salutem posthabentem virginem se morti daturam esse. ut autem patienter feramus quae ferri posse nego: num vere ea quae statim omni modo prohibiturus est atque irrita facturus hoc loco Achilles tibi videtur posse *χρηστὰ καὶ ἀναγκαῖα* dicere? immo

Monkio Hermanno[190]) Nauckio Weilio G. Dindorfio, qui interpolatori hos versus tribuerunt, adsentiendum est atque in uno est acquiescendum versu 1408., qui apte ac satis accurate quamvis paucis verbis indicat quae admiratione vere sunt digna nulloque modo suspicionem a vero abducit. De ipso autem interpolatore mihi quaerenti non videtur dubium esse, id quod supra passim indicavi, quin notissimum illum deprehenderimus, qui in earum potissimum partium quibus aut cum Achille aut cum Agamemnone agit Clytaemnestra amplificatione versatus optime inde cognoscitur ubique quod novi nihil adferens ipsa fabula utitur ad fabulam interpolandam. nec sermonis quidem deest vitium unde ipsius illius agnoscamus artem recentiori aevo dignissimam. nam mihi quidem nullo modo possum persuadere ut Euripidem *τὸ θεομαχεῖν, ὅ σου κρατεῖ* unquam ita dixisse credam ut pronomen relativum non ad verbum *θεομαχεῖν* sed ad divini numinis quam illud notionem amplectitur referri iuberet.

Qualicunque vero suspicione mihi quidem carere videntur qui proxime secuntur versus 1413.—1416. Seclusit eos Guilelmumque Dindorfium adstipulatorem nactus est Hartungus quales Euripides nullo modo scripserit deprehendisse sibi visus ineptias. quarum in tribus potissimum offendit. sed quod primo loco attulit, inepta esse ea quae sunt *ἄχθομαι εἰ μή σε σώσω,* minus brevem et imperiosum illum fuisse vellem, si quidem mihi non contigit ut inepti quicquam reperirem, praesertim cum quod propter praesens tempus verbi *ἄχθομαι* fortasse requirit aliquis *σῴζω* magna cum specie veritatis restituatur. quae deinde proxime secuntur, *ἄθρησον· ὁ θάνατος δεινὸν κακόν,* nullo modo perinde atque Hartungo nobis ridicula videbuntur sordidaque, si quis et unde mutetur filiae animus nihil inexpertum ab Achille omitti et virginem timidam ac plane infantem illam esse reputaverit: quae reputanti mihi quidem non reprehensione sed admiratione potius digna videntur simpliciter ac fideliter dicta illa *ἄθρησον· ὁ θάνατος δεινὸν*

[190]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 11.

κακόν. quod tertio denique loco Hartungus posuit, pugnare inter se quae versibus 1409 sq. et versu 1416. idem proferat Achilles, abiecto priore illo loco commemorasse satis est, quanquam haec quidem cur se in vicem aversentur non video causam.

Ne tamen suspecti quicquam relinquatur, caveas quaeso offendas in verbo *εὐεργετεῖν*. quod si quis de servanda Iphigenia dictum putat habet cur reprehendat ac respuat, si quidem in morte defendenda Achilles tanquam in beneficio in virginem deferendo turpissime gloriaretur. quare monendum est hic quidem minime Iphigeniae defensionem dici sed sententiarum hunc esse ordinem, ut postquam proximis versibus amore se captum esse ostendit hoc versu et sequente Achilles in matrimonium ductam virginem domi suae excipere omnibusque bonis cumulare se cupere dicat, quare addit maerore se adfici nisi illam Graecis extorqueat. Vides igitur illud *εὐεργετεῖν* alienissimum esse a suspicione, in quam ne incideret ne periculum quidem esset, si vitans quam *ὕστερον πρότερον* vocamus figuram Euripides hanc secutus esset rationem, *ἐγὼ γὰρ εἰς οἶκον λαβεῖν τε καὶ εὐεργετεῖν σε βούλομαι.*

Reiectis autem quibuscunque in suspicionem partim vocarunt partim vocare quis possit argumentis hunc locum tanto magis in genuinorum numero retinemus quanto minus eo careri potest propter ea quae statim secuntur Iphigeniae verba, id quod diserte agnovit ipse Hartungus haec addens: dicta talia vel similia ab Euripide fuisse valde probabile est.

Vers. 1425.—1433. — Omnia igitur optime procedunt usque ad versum 1425., qui praeterquam quod aperto vitio laborant ea quae sunt *ἴσως γε κἄν* non potest cogitari quomodo cohaereat cum eis quae statim secuntur, si quidem non continuantur quae a particulis *ὅμως δέ* exorsa sunt. quibus offensionibus cum accedat haec, quod insani quid occurrit etiam in versu 1426., quoniam ferri non possunt *τἀπ' ἐμοῦ λελεγμένα*, desperata res videri posset, nisi spurium esse hunc ipsum versum coargueret tam vitium illud inexplicabile quam sententiarum cohaerentia misere turbata. Abiecto igitur versu 1426. reponendum est *ἴσως γὰρ ἄν*, continuandi autem sunt vers. 1425. et 1427.,

ὅμως δ', ἴσως γὰρ ἂν μεταγνοίης τάδε,
ἐλθὼν τάδ' ὅπλα θήσομαι βωμοῦ πέλας,
ὡς οὐκ ἐάσων σ' ἀλλὰ κωλύσων θανεῖν.

Haec mihi conicienti feliciter contigit ut fere in eadem inciderim quae proposuit Hermannus[191]) persuasitque G. Dindorfio: quae cum ita sint, non dubito quin veram rationem commendem, id quod eo magis mihi persuadeo quod corrupto versu 1425. expulsaque particula *γάρ* unde versum 1426. inicere alicui in mentem venerit non est quod pluribus exponam.

In eis qui proxime secuntur versibus quattuor (v. 1427.—1430.) non video quid reprehendam, neque possum Hartungi non admirari temeritatem quae eiecit versus 1429 sq., utpote quibus ea recoxerit interpolator quae versu 1425. protulerit Euripides. at his versibus immerito in suspicionem vocatis minime repeti sed continuari versum 1425. moneri non est opus. *paenitebit te fortasse*, inquit Achilles, *tui consilii: qua paenitentia quoniam optabis ut mors tibi defendatur, uteris fortasse quae nunc tibi polliceor muneribus* (*χρήσει τοῖς ἐμοῖς λόγοις*). quibus quae tandem cogitari possunt saniora? quare qui perinde atque Hartungus hos versus seclusit in trium illorum qui secuntur societatem sumptos, G. Dindorfius, magnopere vereor ne et ipse dederit temeritatis specimen.

In totius loci argumento offendisse videtur Nauckius, si coniecturam facere licet de causa qua ille eo sit adductus ut huius orationis praeter extremos versus tres secluderet qui antecedunt versus quinque a v. 1426. ego vero tantum abest ut argumenti quicquam reprehendam ut summa laude dignissima iudicem omnia. amore enim captus Achilles praeclare, quanquam non eo procedit audaciae ut invitam virginem retineat sed animi veritus magnitudinem nec voluntatis comminuens liber-

[191]) cf. quae de hoc loco restituendo praescripsit De interpp. I. in Aul. II. pag. 11. — *γὰρ κἄν* coniecit Hermannus.

tatem in ipsius virginis potestate positam esse vult mortis defensionem, omnia tamen ut servet sibi filiam experitur nullamque praetermissurus est idoneam servandi occasionem.

Misere vero pugnat cum eis qui statim sequitur vers. 1431., quem quantumvis anxie secundum exemplum versu 1428. propositum fabricatus est interpolator suam ipsius tamen imperitiam atque insipientiam parum cavit immiscere. inde, id quod prae ceteris nota est dignum, Iphigeniam morte adfici nunc negat se passurum esse Achilles, parum sane sibi constans, si quidem servetur an mortem occumbat modo ipsius virginis permisit arbitrio, ut praeter totius loci argumentum, qua de re supra monui, optime ratio docet ipsius versus 1428. et particula quidem *ὥς*, qua paratum quidem se ostendit iuvenis ad mortem prohibendam. sed ita tamen ut non intercessurus sit nisi iubente Iphigenia. Statuo haec quamvis obloquente Firnhabero, qui nescio unde sibi persuaserit ut versum 1431. magis dubitanter loquentis esse putans hoc versu Achillem quae altero versu nimis fortiter adseveraverit tanquam circumcidere credat: statuo hunc versum, quo servatum iri virginem pro explorato adfirmatur, non modo pugnare cum eis quae antecedunt sed etiam plane incautum fingere Achillem, quippe qui quam omni modo sibi servaturus sit virginem non retineat sed patiatur ad aram proficisci, nimis dubio certamine cuncto cum Graecorum exercitu dimicaturus.

Neque ex hac sola parte versus laborat. an patienter feras stultitiae opprobrium Iphigeniae ingestum, et ab eodem quidem homine qui quae ut stulte facta nunc reprehendit modo summis laudibus dignissima duxit? conferas quaeso haec, *εὖ γὰρ τόδ᾽ εἶπας ἀξίως τε πατρίδος* v. 1408., *γενναία γὰρ εἶ* v. 1412., *γενναῖα γὰρ φρονεῖς· τί γὰρ τἀληθὲς οὐκ εἴποι τις ἄν;* vers. 1423 sq. num vere haec cum illo concinere putas?

Et tertium adfero. quid quaeso sibi vult graviter dictum et magna cum vi additum *τῇ σῇ*? accuratissime illud quidem in memoriam revocans versum 963., qui articulum praebuit versus explendi causa Clytaemnestrae nomini praefixum.

Non potest igitur non interpolatoris esse versus 1431., quare eum secludere debemus sine ulla dubitatione. Qui autem secuntur versus duo artissime cum illo cohaerentes, etsi ipsi nullam movent suspicionem, tamen et ipsi ab interpolatore profecti esse eo opinor convincuntur quod versum 1427. imitando refingentes versui manifeste spurio deprehenduntur arte coniuncti. quoniam enim, id quod satis infeliciter infitias eunt Firnhaberus Klotzius Weilius, eorum locorum quorum alter est vers. 1427 sq., alter vers. 1431.—1433. neuter alterum sibi vicinum esse patitur, unde sequitur ut uter eiciendus sit quaeratur, versus 1431.—1433. damnandos esse et simplicitas suadet et qui eorum est locus.

Similiter Hermannus iudicavit, qui primus tres illos extremos versus negavit ferri posse, similiter nuper G. Dindorfius, cui una cum his spurii videntur qui proxime antecedunt versus duo. Miri quid in mentem venit Hartungo, qui damnans quidem versum 1431. quos ille sequentes habet versus duos in locum substituit versuum 1426 sq., quorum utrumque spurium dicere non dubitavit eadem qua versus 1429 sq. interpolatori tribuit temeritate. vides igitur in ea sententia illum fuisse ut versus 1426 sq. 1429.—1431. tanquam uno tenore compositos ab interpolatore inque margine adscriptos postea satis artificiose alios alio loco insertos esse putaret a librario, qui, id quod optime docet Hartungi perversitatem, ne genuinorum quidem servaverit nec ordinem nec sinceritatem. supersedeo igitur refutare ea quae etsi refutari nec possunt nec debent novi tamen proferendi studio orta severissima digna sunt castigatione. Neque plus tribuo Fixio, quoniam qui ab eo secludendi proponuntur versus 1428.—1432. maxima ex parte carent suspicione.

Tractatis igitur singulis quid de totius loci, qualis versibus 1405.—1433. continetur, sentiam condicione, mihi illa quidem paucis de quibus monui spuriis execatis sanissima visa, ego non habeo quod addam. sed cum hodie quoque esse videantur qui turbatum putent versuum ordinem, interruptam sententiarum

continuationem, nescio an ab re sit pluribus exponere argumentum.

Atque Achilles quidem audita virginis devotione, *beatum igitur*, inquit, *Iphigenia, dei me reddituri erant te mihi in matrimonium data, invideo autem te Graeciae: pium enim ac fortem praebes animum. quos mores tuos considerantem quam sint egregii magis magisque me capit matrimonii tui desiderium. et ausculta mihi: domi enim meae te excipere cupio omnibusque cumulare beneficiis, et in maerore sum, per deam matrem, nisi Graecis te eripio quamvis magno cum vitae periculo. nonne commoveris? ecce: mors magnum est malum.* ita Achilles admiratione captus atque amore. sed cupiditatem mox coercet, postea scilicet quam non moveri vidit Iphigeniam. ubi aucta etiam admiratione, *o praeclarum*, inquit, *ingenium, quoniam hoc tibi videtur, non habeo nunc quidem* (πρὸς τοῦτο) *quod dicam. egregium enim praestas animum: quid enim verum non dicam? attamen — forsitan enim consilii te paeniteat — haec arma prope aram condam, ut mortem, si velis, tibi defendam. uteris autem fortasse tu quoque quae tibi polliceor muneribus, quando gladium videbis cervicibus admotum.* Haec locutus abit Achilles.

Quid autem quaeso his inest inconcinnitatis? quid in Graecis quidem occurrit offensionis? unde tandem versuum aliquot sedes mutare in mentem venit Hermanno, aptissimo illi quidem tragicae poeseos interpreti? Atque Hermannus quidem hunc voluit ordinem esse versuum: vers. 1405.—1407 1411 sq. 1416. (ὅρα δ᾽, ἄθρησον· ὁ θάνατος κτλ.) 1429 sq. vers. 1417.—1421. vers. 1422.—1425. 1427 sq.[192]). quem ordinem genuino longe deteriorem ut feramus, nullo tamen modo recipiemus quem excogitavit sibi Vitzius[193]), versibus 1405.—1416. ille quidem, quos genuinos duxit ad unum omnes, adiungens versus 1426.—1430., ad quae postquam respon-

[192]) De interpp. I. in Aul. II. pag. 11.

[193]) l. l. II. pag. 12. ceterum in proxima pagina versus 1426.—1430. Euripidi minori tribuerat.

dentem fecerit Iphigeniam Euripides maior nescio qua de causa sermonem repente abruperit. quare magnopere vereor ne Vitzii causa ille male incohatum hoc opus reliquerit imperfectum, scilicet ut versus 1422.—1425., quibus nullo modo potest careri, non minus quam versus 1431.—1433. Euripidi minori tribuens Vitzius haberet unde accurate demonstraret auxiliaris poetae operam.

VERS. 1438 sq.

LXVI. — Non facile quemquam adsentientem habebit Klotzius, qui versuum 1438 sq., quorum uter eiciendus sit viri docti ambigunt, utrumque negat spurium esse. nimirum vehementer dubito num stichomythiae legem iure violatam esse vere cuiquam persuadeat mira ista ratiocinatione qua Iphigeniam docet oportuisse longiorem habere orationem, quam, ubi animadverterit quid filia mandatura esset, Clytaemnestra praeciderit. quid quod longiorem se habituram esse orationem Iphigenia satis superque indicaverit particula μήτε, Clytaemnestra autem quae filia dictura esset non minus ex alterutro cognoverit quam ambobus versibus?

Quoniam igitur nihil tribuendum videtur Hartungo, qui, etsi nihil desideratur, Clytaemnestrae aliquem versum coniecit excidisse[194]), sequitur ut diiudicemus uter eiciendus sit versuum. Difficultatem opinor attulit L. Dindorfius, qui nisi hanc excogitasset rationem, ut spurium diceret versum priorem, nemini opinor in mentem venisset dubitare quin alter versus secludendus esset, satis accurate ille quidem versum 1449. refingens. sed mihi quidem, etsi excitatam semel dubitationem nunquam tolli posse concedo, et versus 1439. videtur similior esse versui 1449. quam ut, ille ipse versus an qui proxime ei antecedit spurius sit si quaeritur, antecedentem illum interpolatori tribuam, neque interpolatorem intellegerem cur quem addidit versum mallet praemittere genuino quam subiungere. Itaque mihi

[194]) Adstipulatus est Vitzius l. l. II. pag. 10.

perinde atque Weilio placuit Hermannum sequi Burgesio praemonente versum delentem posteriorem, quanquam cavi adeo adsentiri ut mutandum putarem versum priorem, quem optime se habere non est quod moneam.

DE CHORI CARMINE VERS. 1510.—1531.

LXVII. — Qui aeque ac fabulae exodum novissimum hoc choricum carmen a genuinis segregavit, Kirchhoffius, nescio unde id quidem spurium esse sibi persuaserit. chori autem cantico cum hoc loco haud facile careatur neque huius quidem carminis ullo modo negari possit aptissimum esse argumentum, nolui ab eorum discedere sententia qui hanc quidem fabulae partem genuinis adnumerare non dubitant: praesertim cum quaecunque obviam fiunt offensiones adeo mirae sint ad unam omnes ut interpolatoris inde eruere artem neminem putem non cavere.

Hoc carmen, quod sive totum sive ex parte Iphigeniae illi cantico versus 1475 sqq. complexo respondere non potuerunt mihi persuadere nec Seidlerus[195]) nec Hermannus neque magis mihi probarunt Nauckius et G. Dindorfius, ut Hartungi taceam indignissimos conatus[196]), initio mihi quidem videtur continuare carmen quod praemissum est commaticum, et ita quidem ut primi versus, Iphigeniae illi quidem verba in memoriam revocantes, canantur Iphigenia proficiscente. novum autem sequitur argumentum inde a v. 1521., ubi paean incipitur vers. 1468 sq. tanquam praenuntiatus.

Responsionis igitur missa suspicione haud ita multa occurrunt quibus opus sit medicina.

---

[195]) De versibus dochmiacis. Lips. a. 1811 sq. pag. 285 sqq.
[196]) Haud improbabiliter disputavisse Hartungus videtur Vitzio l. l. l. pag. 14.

Ἰὼ ἰώ.
ἴδεσθε τὰν Ἰλίου
καὶ Φρυγῶν ἑλέπτολιν
στείχουσαν, ἐπὶ κάρα στέφη βαλουμέναν
χερνίβων παγαῖσι

βωμὸν δ' αἵμονος θεᾶς
ῥανίσιν αἱματορρύτοις ῥανοῦσαν
εὐφυῆ σώματος δέρην σφαγεῖσαν.

εὔδροσοι παγαὶ
πατρῷαι μένουσί σε χέρνιβές τε,
στρατός τ' Ἀχαιῶν θέλων
Ἰλίου πόλιν μολεῖν.

Ἀλλὰ τὰν Διὸς κόραν
κλῄσωμεν Ἄρτεμιν, θεὰν ἄνασσαν,
ὡς ἐπ' εὐτυχεῖ πότμῳ.

ὦ πότνια, θύμασι βροτησίοις
χαρεῖσα, πέμψον εἰς Φρυγῶν
γαῖαν Ἑλλανων στρατὸν
καὶ δολόεντα Τροίας ἕδη,

Ἀγαμέμνονά τε λόγχαις
Ἑλλάσι κλεινότατον στέφανον
δὸς ἀμφὶ κρᾶθ' ἑὸν
κλέος ἀείμνηστον ἀμφιθεῖναι.

v. 1512. *βαλουμέναν* Hartungus. *βαλλομέναν* libri.

v. 1513. Libri *χερνίβων τε παγαῖς*, ut *χερνίβων τε παγαῖσι* scriptum est v. 1479. vocabulum *τέ*, neutro in loco illud quidem ferendum, correctoris esse mihi videtur quam poeta secutus est singula inter se coniungendi referendique rationem non perspicientis. ceterum priore in loco servatum est quod tam hic quam illic requiri videtur, *παγαῖσι*.

v. 1514. Libri βωμόν γε δαίμονος. particulam corrector aliquis inculcasse videtur metricus, qui ut metrum brevi illa syllaba facillime carere non intellexit ita δαιμονος quomodo accipiendum esset parum perspexit. voce αἵμων, quam a poeta positam esse item coniecisse video olim G. Dindorfium, ad sanguinolentum significandum Euripides usus est Hec. 90., Aeschylus Suppl. 814., ubi interpretandi causa scholiasta addidit ᾑμαγμένον. cf. πολυαίμων Aesch. Suppl. 808.

v. 1516. ῥανοῦσαν Marklandus. θανοῦσαν libri. quod vitium postquam irrepsit participia θανοῦσαν et σφαγεῖσαν qualicunque ratione inter se coniungi oportuit, id quod non neglexit qui post vocabulum εὐφυῆ inseruit particulam τε.

v. 1522. Libri θεῶν ἄνασσαν.

v. 1529. Ἑλλάσι Marklandus. potuit Ἕλλασι. libri Ἑλλάδι.

v. 1530. κρᾶθ' ἑόν conieci, unde feliciter factum est ut in idem inciderim in quod Seidlerus. κάρα ἑόν libri. κάρα θ' ἑόν male Scaliger alii.

DE FABULAE EXODO.

(vers. 1532.—1629.)

LXVIII. — Extremam hanc fabulae partem, qualis continetur versibus 1532.—1629., primus spuriam esse intellexit Ricardus Porsonus, qui, postquam versus 1570. mendosi duas attulit lectiones, hanc dixit sententiam[197]: si me rogas utra harum vera sit lectio, respondeo neutra. nec quicquam mea refert, quippe qui persuasus sim totam eam scenam ab usque versu 1541. (1532.) spuriam esse et a recentiori quodam nescio quando, certe post Aeliani tempora, suppositam. Probavit hanc sententiam Bremius et accuratius disputavit de

[197]) Supplem. ad praef. Hecub. (quod publici iuris factum est anno huius saeculi altero) pag. XXI. extr. cf. pag. XX. XXII. XXVIII. XXXVII. ineunt.

metrorum potissimum vitiis, quibus cum turpiter inquinata sit huius epilogi altera pars, ne priorem quidem genuinam esse existimavit cum Porsono[198]). Et qui post Porsonum in hanc fabulam inquisiverunt adsensum patefecerunt prope omnes, L. Dindorfium dico Maur. Seyffert[199]) G. Hermannum Mehlhornium[200]) Bartschium[201]) Hartungum, quibus adnumerare non dubito Zirndorferum, etsi is, quae eius de duarum fabularum inepta contaminatione opinio est, ex minoris Euripidis fabula hanc exodum sumptam varieque mutatam amplificatamque esse putavit a grammatico[202]). Neque, si rem omnem spectas, qui nunc in Euripidis fabulis recensendis et emendandis prae ceteris operam posuerunt, Augustus Nauckius et Adolphus Kirchhoffius, in aliam atque in qua Porsonus fuit discesserunt sententiam. Nauckius enim quorum vestigia deprehendisse sibi visus est duorum interpolatorum operam a v. 1540. incepisse putat, quod contra Kirchhoffio, id quod supra monui, quod exodo antecessit carmen choricum spurium videtur praeter exodum. Repetiit denique Porsoni sententiam Klotzius, recens autem illam amplexus est G. Dindorfius, qui huius quidem fabulae editionem repraesentavit novissimam.

Eam autem pervestiganti mihi partem quae continetur versibus 1532.—1567. cum nihil obviam factum esset in quo merito adeo offenderem ut totam eam Euripidi abiudicarem, ea tantum a falsario profecta esse putavi quae excipiunt versum 1567. Neque enim quod quae in eadem condicione versatur pariterque summam praestitit magnanimitatem fere eisdem verbis quibus Hec. vers. 548 sq. Polyxena repudiatis Argivorum manibus sponte cervices se sacerdoti feriendas praebituram esse

[198]) Philol. Beytraege aus d. Schw. I. pag. 149.—155.

[199]) De duplici rec. I. Aul. quaest. pag. 13.

[200]) Allgem. Schulz. II. no. 79. pag. 627 sq.

[201]) De Euripide I. Aul. auctore quaest. pag. 11.—13. cf. N. Jahrb. vol. XXXIII. a. 1841. pag. 8.—17. (Firnhaberi censuram egit, pag. 3.—30.)

[202]) De chronol. fabb. Eur. pag. 102 sq.

praedicat Iphigenia, neque quod cetera ad eorum exemplum quae de Polyxenae immolatione Talthybius narrat in Hecuba composita esse apparet eam mihi movere potuit suspicionem ut vererer qui hanc fabulae partem ad illam quae in Hecuba est sacrificii descriptionem tanquam adumbraverat, ne is non ipse fuisset Euripides. nam is cum aliis in rebus tum in talibus describendis quam parum sui ipsius imitationem cavere aut voluerit aut potuerit et aliunde constat et accurate demonstravit Firnhaberus[203]). Quod autem epilogum, cuius prior pars nemo non potest cognoscere quam parum similis sit alterius, totum Euripidi abiudicarunt ea potissimum de causa quod qui ab Aeliano citantur versus ex Euripidis Iphigenia desumpti[204]), aperte illi quidem ad Clytaemnestram a Diana fabulae in fine dicti, nullo modo locum habere possunt in eo epilogo quo nunc fabula instructa est: mihi quidem hoc persuasum est, graviter errasse Porsonum et Bremium, qui quamvis doctissimorum consensu ea pro reliquiis habuerunt genuini epilogi qualis ab ipso Euripide profectus sit[205]). In eadem sententia fuit Matthiaeus, qui postquam hanc dixit Euripidem sibi praescripsisse legem, ut nusquam deum aliquem introduceret nisi ubi dignus vindice nodus incideret, hic vero, inquit, quis dignus vindice nodus incidit?[206]) Vides miram causam Matthiaeum sibi finxisse. nam optime hic poetam uti potuisse Dianae interventu quis neget? immoletur an servetur summum virginis

[203]) De repetitis singulis versibus cf. Firnh. l. l. pag. 247. et quae attuli hui. lib. pag. 40. omni igitur suspicione carent hac quidem ex parte vers. 1559 sq. coll. Hec. 548 sq. et v. 1561. coll. Hec. 542. — De rebus identidem similiter compositis et enarratis docte disputavit Firnh. l. l. pag. 276 sqq.

[204]) vid. hui. lib. pag. 2.

[205]) Philol. Beytr. pag. 145.

[206]) l. l. pag. 321. quae praeterea addidit Matthiaeus mirum quantum obscure disputata sunt, quae cum a nemine prorsus intellecta esse videam (cf. Herm. De interpoll. I. A. II. pag. 12. Vitz. l. l. I. pag. 11. Firnh. pag. XX. not. 1.) adferre desisto.

discrimen nullusne est dignus vindice nodus? habuit tamen Matthiaeus qui adsensum patefecerint. nuper enim in sententiam eius, ut dignum vindice nodum deesse diceret, discessit Vitzius[207]), G. Dindorfius autem et egregie illa ac rectissime disputata esse dixit[208]) et ea quoque in re tum quidem temporis Matthiaeum secutus est ut perinde atque ille quae antecedunt versui 1559. genuinis adnumeraret[209]), idem quod ante Dindorfium fecerat Bothius. Potuit igitur Diana intercedere: nec tamen ea dicere potuit quae attulit Aelianus, cervam Iphigeniae loco substitutam Graecorum in manibus se posituram esse, quam cervam Graeci immolantes fore ut immolare sibi viderentur Iphigeniam. apparet enim ibi id egisse Dianam ut falleret Graecos. sed quam causam habuit fallendi? num est ubi virginis immolationem Graecos postulare viderimus aliam ob causam nisi dea quam conceperat iram ut placarent? dea autem postquam noluit Iphigeniam immolari: cur hoc celabantur Graeci? etsi igitur quae Aelianus citavit optime cum eis concinunt quae sunt I. T. 783 sqq.,

ἔλαφον ἀντιδοῦσά μου θεὰ
Ἄρτεμις ἔσωσέ μ', ἣν ἔθυσ' ἐμὸς πατὴρ
δοκῶν ἐς ἡμᾶς ὀξὺ φάσγανον βαλεῖν,

cf. eiusdem trag. vers. 28 sq., quando quidem ibi Agamemno votum Dianae debens fingitur, quod votum exequi videri debet sibi ceterisque (cf. I. T. 20 sq.): nullum tamen unquam locum isti versus habere potuerunt in hac tragoedia, et qui primus hoc intellexit, Firnhaberus[210]), eximia dignus videtur laude. Ceterum ex eis quae huc usque disputata sunt nullo modo confici poterit ut ne spurii quidem epilogi reliquias istis versibus

[207]) l. l. I. pag. 11 sq.

[208]) Eurip. tragg. ed. Oxon. III. pag. 439. adn. a.

[209]) Nunc, ut supra indicavi, quoad genuina a spuriis distinguenda in Porsoni aliorumque discessit sententiam.

[210]) l. l. pag. XX. frustra illud Graecos fallendi consilium infitias ire conatus est Bartsch. in censura illa supra laudata pag. 19.

Aelianus nobis tradiderit[211]), quanquam illud de prologo suppositicio commentum lubenter G. Dindorfio[212]) et Vitzio[213]) condonaverim auctoribus.

Cum igitur in eo essem ut Euripidi tribuerem quae versui 1568. antecedunt, metrorum quaedam conformatio impedimento fuit quominus exequerer quod statueram. tam enim in hac quam in altera epilogi parte quicunque leguntur trimetri iambici perpaucos habent pedes quos vocant solutos, prioris autem partis trimetri quam diligentissime et accuratissime compositi sunt, quamcunque respicis rem. Atque in altera quidem parte, quae trimetros continet quinquaginta tres, pedes soluti, si unum illum excipias nominis proprii inferendi necessitate ortum, occurrunt sex, quorum e numero segregandus est is qui inest versui 1572., *τὸ θῦμα τόδ᾽ ὅ γέ σοι*, quem ego quidem ne interpolatori quidem tribuens perinde ac Porsonus mutaverim cum hoc, *τὸ θῦμα τοὖθ᾽ ὅ σοι*[214]). priori autem parti, triginta quinque[215]) illi quidem complexae trimetros, pedes soluti, quatenus hac quidem in re nulla ratio habenda est nominum propriorum, insunt duo. Quod contra in prologi iambis sive sexaginta sex sive sexaginta quinque habes trimetros, quibus solutiones insunt undecim[216]), porro in ea fabulae parte quae continetur versibus 402.—542. septimum quodque hemistichium praebet solutionem, in eo denique loco qui est vers. 1434.—1474. in altero quoque versu in pedem solutum incidis. totius autem tragoediae si pervestigabis quaecunque et genuina sunt neque ad epilogum pertinent, in tertio quoque trimetro iambico deprehendes solutionem. Vides igitur epilogi utramque partem

---

[211]) vid. hui. lib. pag. 185.

[212]) edit. Ox. vol. III. pag. 439. adn. a. cf. hui. lib. pag. 8.

[213]) l. l. I. pag. 12.

[214]) vid. Pors. l. l. pag. XXII.

[215]) Apparet enim secludendum esse versum 1545.

[216]) Nec hic nec usquam in hac ratione eas duxi solutiones quae ad nomina propria pertinent.

talem praestare metrorum conformationem qualis mirum quantum distat tam a reliquae fabulae quam a ceterarum Euripidis fabularum quaecunque huius quidem aetatis sunt iambicorum versuum compositione[217]): quam discrepantiam tanti ego quidem momenti esse puto ut non solum miseram illam alteram epilogi partem sed etiam priorem, haud indignam illam quidem nostro poeta, Euripidi abiudicem. quanquam quae versum 1532. secuntur utrum omnia pro spuriis habenda an aliqua ex parte Euripidi tribuenda sint ego quidem non diiudicem. forsitan cum Nauckio quae versui 1540. antecedunt genuina duxeris, quibus interpolator postquam genuinus fabulae finis intercidit adiunxerit finem suo Marte refectum.

Quae autem in priore parte admirationem habuit solutionum raritas profecto magis est mira in altera parte epilogi, quippe quae ceteroquin prorsus deformata est metrorum vitiositate. Prae ceteris enim hanc alteram partem spuriam dicere non est quod dubitemus, quamvis sint qui obloquantur. Gruppius[218]) enim Firnhaberus et Weilius ut totius fabulae obtinebant integritatem[219]) ita ne epilogi quidem sollicitati sunt immanitate. Vitzius autem ab Euripide maiore inventam et incohatam hanc exodum ad finem perductam esse censuit ab minore Euripide, tum quae nunc quidem inessent vitia irrepsisse ei visa sunt illius qui turbatae fabulae membra disiecta in ordinem redegisset vel refecisset metrici librariorumque inertia ac neglegentia[220]).

---

[217]) Mirandus est Firnhaberus (l. l. pag. 294.), qui fuisse conqueritur quos in hac exodo solutionum offenderit magnus numerus. nec fuerunt opinor nec esse potuerunt qui hanc quidem reprehensionem meruerint.

[218]) Ariadn. pag. 513 sq.

[219]) vid. hui. lib. pag. 19. Genuinam esse hanc exodum praeter ceteros I. F. Wittram contendebat scholastico libello de Iphigeniae Aulidensis epilogo Rigae a. 1843. edito, quem inspicere mihi non contigit.

[220]) l. l. I. pag. 14. coll. pag. 13. in.

Occurrunt autem in hac altera epilogi parte praeter metrorum vitia sermonis quoque et dictionis peccata satis multa, sed gravissima reprehensione dignae sunt eae ineptiae quibus praeter sacrificii descriptionem turpata est totius epilogi compositio.

Ac metrorum quidem deformitatem, quam primus omnibus ante oculos posuit B r e m i u s[221]), prae aliis mitigare conati sunt P o r s o n u s et H e r m a n n u s, qua in re magnum sibi pararunt plausum, ut consentaneum est, Gruppii Firnhaberi Vitzii[222]) et cuius ipsius haud parva fuit interpolationis vestigia confundendi opera, Weilii. Sed ut nonnulla vitia concedamus librariorum metricorumque culpa illata esse, plurima nego aliunde nata esse quam inertia ipsius illius hominis a quo profectus est totus iste fabulae finis. nimirum cetera quae insunt vitia ita sunt comparata ut optime concinant cum turpitudine metrorum, quas offensiones omnes tollere non potes nisi spurium nulloque modo vel ab minore vel ab maiore Euripide profectum dicas totum locum, unde necessario ultro quamvis invitus in sententiam incidis Porsoni reliquorumque. Adscribo nunc vitiosissimorum versuum quos nullius metrici manu puto turbatos esse.

v. 1573. *στρατός τ᾿ Ἀχαιῶν Ἀγα μ έ μ ν ων ἄναξ θ᾿ ὁ μ ο ῦ.*

v. 1580. *ἐμοὶ δέ τ᾿ ἄλγος οὐ μ ι κ ρ ὸ ν ε ἰ σ ῄ ει φρενί.*

v. 1584. *βοᾷ δ᾿ ἱ ε ρ ε ὺ ς ἅπας δ᾿ ἐπήχησε στρατός.*

v. 1589. *ἧς αἵ μ α τ ι β ω μ ὸ ς ἐ ρ α ί νετ᾿ ἄρδην τῆς θεοῦ.*

vers. 1592 sq. *ὁρᾶτε τήνδε θ υ σ ί αν ἣν ἡ θεὸς*
προύθηκε βωμίαν ἔλαφον ὀρειδρόμον.

v. 1596. *ἡδέως δὲ τοῦτ᾿ ἐδέ ξ α τ ο κ α ὶ πλοῦν οὔριον.*

legem illam notissimam de quinto pede trimetri iambici bis deinceps habes violatam versibus 1611 sq.,

σῴζουσί θ᾿ οὓς φιλοῦσιν. ἦμαρ γὰρ τόδε
θανοῦσαν εἶδε καὶ βλέπουσαν παῖδα σήν.

---

221) l. l. pag. 149 sqq.

222) vid. l. l. II. pag. 10 sq.

similiter peccavit falsarius v. 1589. et v. 1623.,

χρὴ δέ σε λαβοῦσαν τόνδε μόσχον νεαγενῆ.

omisi autem, ut par erat, in numerorum vitiosorum enumeratione eos versus qui aut talibus imbuti sunt vitiis qualia ne interpolatori quidem tribui possunt aut minoribus adfecti sunt mendis, qualia Euripides ipse non vitabat.

Nec non in sermone quo poeta iste auxiliaris, ut ita dicam, usus est merito offendimus: quarum asperitatum in numero prae aliis haec posui merito in istum hominem conferenda.

v. 1568. *ὁ παῖς ὁ Πηλέως.* qua articuli repetitione nihil molestius cogitari potest.

v. 1594. *ταύτην μάλιστα τῆς κόρης ἀσπάζεται.*

De superlativo comparativi locum obtinente quoniam quam intenderunt litem viri docti nondum composuerunt nec quam Graeci hac de re sibi praescripserint legem adhuc ita eruerunt ut omnium sit de ea consensus, ego quidem dubitavi in hoc quoque loco ut in falsarii vestigio offendere. tamen non potui non denuo suspicionem excitare. profecto enim est apud bonae aetatis scriptores ubi ferri possit superlativum comparativi loco positum, si quidem cur hoc cum illo mutatum sit cognosci potest causa aut cogitari potest explicandi ratio. quibus locis nescio an non praeter notissimum illum qui est Androm. 6. et praeter Andr. 639. aliosque adnumerandum sit hoc *μάλιστα τῆς κόρης.* sed cum inferioris aetatis homines dubitari non possit quin consulto quamvis refragante sententia superlativum comparativi loco posuerint, cuius satis multa exempla praeter alia attulit N a u c k i u s Observ. critt. pag. 15., et prioris aetatis scriptoribus satis antiquo tempore identidem tale quid illatum esse et huius quidem epilogi scriptorem hoc vitium admisisse consentaneum videtur.

Exempla vide apud G. H e r m a n n u m ad Elmsl. Med. 67 sq., apud eundem H e r m a n n u m ad Viger. pag. 718 sq., apud N a u c k i u m l. l. quo ex numero superlativorum ego quidem probaverim haec. Il. I. 505. *ὠκυμορώτατος ἄλλων.* Eum. 31 sq. *καὶ νῦν τυχεῖν με τῶν πρὶν εἰσόδων μακρῷ ἄριστα*

δοῖεν. Antig. 100. *κάλλιστον τῶν προτέρων.*[223]) Soph. fr. 64. *τὸ ζῆν γάρ, ὦ παῖ, παντὸς ἥδιστον γέρας.* Hdt. II. 35. *ἔρχομαι δὲ περὶ Αἰγύπτου μηκύνων τὸν λόγον, ὅτι πλεῖστα θωυμάσια ἔχει ἢ ἄλλη πᾶσα χώρη.* Thuc. I. 1. 1. *ἐκείνην ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων.* cf. I. 10. 3. *ἐκείνην μεγίστην γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς.* I. 50. 2. *πλήθει μεγίστη δὴ τῶν πρὸ αὐτῆς γεγένηται.* Dion. Hall. A. R. I. 24. *παντὸς μάλιστα θεοῖς τιμιώτατον.* retinuerim neque tamen probaverim recentiorum scriptorum haec: Philemon. Mein. com. IV. pag. 63. *θανεῖν ἄριστόν ἐστιν*[224]) *ἢ ζῆν ἀθλίως.* Ephor. fr. 27. ap. Macrob. Sat. 5. 18. *τούτου δὲ τοῦ ἀπορήματος οὐδὲν ἔχομεν αἰτιώτατον εἰπεῖν ἢ τοὺς ἐκ Δωδώνης χρησμούς.* Apoll. Rh. III. 91. *πίθοιτό κεν ὔμμι μάλιστα ἢ ἐμοί.* Demophil. Orell. opusc. sent. I. pag. 44. *ἡγοῦ μάλιστα φίλους τοὺς ὠφελοῦντας τὴν ψυχὴν ἢ τὸ σῶμα.* Porphyr. epist. ad Marc. 7. *μοχθεῖν ἄριστον εἶναι ἀνδρί τε ὁμοίως καὶ γυναικὶ ἢ ἐξοιδαίνειν τὴν ψυχὴν ὑπὸ τῆς ἡδονῆς χαλωμένην.* epist. ad Marc. 8. *μέγιστος δὲ ἆθλος τοῦ νῦν σοι προκειμένου εὖ οἶδα καὶ αὐτὸς ὡς οὐκ ἄν γένοιτο ἄλλος.* at corrigenda mihi videntur haec: Odyss. XI. 483. *σεῖο δ', Ἀχιλλεῦ, οὔτις ἀνὴρ προπάροιθε μακάρτατος οὔτ' ὀπίσσω.* Hdt. II. 103. *ἐς τούτους δέ μοι δοκεῖ καὶ οὐ προσώτατα ἀπικέσθαι ὁ Αἰγύπτιος στρατός*, ubi nunc duobus suadentibus codicibus omittitur *οὐ*. Hdt. III. 119. *ὃς καὶ ἀλλοτριώτατός τοι τῶν παίδων καὶ ἧσσον κεχαρισμένος τοῦ ἀνδρός ἐστι.*

In numero igitur eorum locorum quos secundo loco posui habendum est nostrum *ταύτην μάλιστα τῆς κόρης ἀσπάζεται*, si quidem nullo modo probari potest quod excogitavit

---

223) adde vers. 1212 sq.

ἆρα δυστυχεστάτην
κέλευθον ἕρπω τῶν παρελθουσῶν ὁδῶν.

Phil. 1470. sq. *ὦ λῷστε τῶν πρὶν ἐντόπων.*

224) nisi forte etiam hic legendum est *ἄρειόν ἐστιν.*

Klotzius, *μάλιστα* ad pronomen *ταύτην* accedere, genetivum autem *τῆς κόρης* referendum esse ad verbum *ἀσπάζεται*, quod cum vim usurpaverit verbi *ἀλλάττεσθαι* tum eiusdem secutum sit rationem.

Verum haec hactenus. porro autem sermonem examinantes in eo offendimus quod est v. 1604.,

πέμπει δ' Ἀγαμέμνων μ' ὥστε σοι φράσαι τάδε,

de quo soloecismo non est quod dicam, sicut verbum illud bonae quidem aetatis scriptoribus inusitatum quod est *ἀφίπτατο* v. 1608. notasse satis habeo.

Sequitur ut quae ille admisit enumerem dictionis vitia. Ac primo quidem loco notanda videtur perversa ista dicendi ratio quae est vers. 1568 sq., qua non tam coniunguntur quam commiscentur diversissima, nisi forte cui *ἐν κύκλῳ βωμοῦ θεᾶς* scribendum videtur.

Prae ceteris deinde mentione digni videntur vers. 1598 sq., quibus bis deinceps altera persona imperativi occurrit cum pronomine coniuncta indefinito,

πρὸς ταῦτα πᾶς τις θάρσος αἶρε ναυβάτης
χώρει τε πρὸς ναῦν.

Miram hanc dicendi rationem neque in ulla quae vere Euripidis sit tragoedia aut in eius fragmentis neque apud Aeschylum usquam aut Sophoclem reperire me memini. nullo modo enim huc referendum est id quod est Bacch. 173.,

ἴτω τις, εἰσάγγελλε Τειρεσίας ὅτι
ζητεῖ νιν,

et Bacch. 346 sq.,

στειχέτω τις ὡς τάχος,
ἐλθὼν δὲ θάκους τοῦδ' ἵν' οἰωνοσκοπεῖ
μοχλοῖς τριαίνου κἀνάτρεψον ἔμπαλιν.

ibi enim quae priore loco fieri iubentur universe cuilibet mandantur eorum qui adstant, deinde autem, postquam unus ex illis paratum se ostendit ad exequenda quaecunque imperentur, singula mandantur singulo. Ut igitur quae nostro loco inest licentia aliena videtur a severa tragicorum austeritate ita conveni

humili vulgaris sermonis consuetudini, quare usurpata erat Aristophani, qua de re compara Av. 1186 sq.,

χώρει δεῦρο πᾶς ὑπηρέτης·
τόξευε παῖε, σφενδόνην τις μοι δότω,

ibid. 1190 sqq.

ἀλλὰ φύλαττε πᾶς
ἀέρα περινέφελον, ὃν Ἔρεβος ἐτέκετο,
μή σε λάθῃ θεῶν τις ταύτῃ περῶν·
ἄθρει δὲ πᾶς κύκλῳ σκοπῶν.

Neque inferioris aetatis tragici vel qui antiquam tragoediam imitati sunt laxam illam dicendi rationem severae orationi immiscere cavisse videntur. testis est qui Rhesum tragoediam scripsit, cf. Rh. 685 sqq.,

ΧΟ. πέλας ἴθι. παῖε πᾶς.
ΗΜ. ἦ σὺ δὴ Ῥῆσον κατέκτας; ἀλλὰ τὸν κτενοῦντα σέ;
ΟΔ. ἴσχε πᾶς τις. ΗΜ. οὐ μὲν οὖν. ΗΜ. ἆ, φίλιον ἄνδρα μὴ θένῃς.
ΗΜ. καί τί δὴ τὸ σῆμα; ΟΔ. Φοῖβος. ΗΜ. ἔμαθον· ἴσχε πᾶς δόρυ.
ΗΜ. οἶσθ᾽ ὅποι βεβᾶσιν ἄνδρες; ΟΔ. τῇδέ πῃ κατείδομεν.
ἕρπε πᾶς κατ᾽ ἴχνος αὐτῶν.

Quae cum ita sint, versus 1598 sq. non possunt non satis certo indicio esse recentioris poetae. quod autem illud quod est *θάρσος αἶρε* infrequentem locutionem dicunt Bothius et Hartungus, unde facile quis, praesertim cum taceant ceteri editores, novum indicium petat interpolationis, compara quaeso haec Sophoclea,

O. R. 914. ὑψοῦ γὰρ αἴρει θυμὸν Οἰδιποὺς ἄγαν
λύπαισι παντοίαισιν.
Ai. 1066. πρὸς ταῦτα μηδὲν δεινὸν ἐξάρῃς μένος.
Trach. 147. (τὸ νεάζον) ἡδοναῖς ἄμοχθον ἐξαίρει βίον.

Tripliciter denique offendendum est in versibus 1605 sq. primum enim, ne ad patrem referantur quae ad filiam pertinent, careri non potest diserte addito Iphigeniae nomine. deinde

autem verbi infiniti tempus praesens *λέγειν* ferri non potest iuxta aoristum tempus *φράσαι*. quod idem cadit in ea verba quae sunt *κυρεῖ* et *ἔσχεν*, quae tertia offensio est.

In singulis cuiusque generis qui tam varie deliquit maximo opere mirandus esset, si fugisset vituperationem in totius fabulae compositione. neque tamen ipse secum epilogus discrepat. Primum enim quae nuntio tributa est sacrificii descriptio misere eo laborat quod Achilles non ictum mortiferum a virgine armis defendens introducitur sed virgineam hostiam Dianae tanquam commendans omnique modo sacerdotem adiuvans in immolatione. an vere talem se praestitisse putandus tibi videtur idem Achilles qui modo discessit immolari virginem se non passurum esse professus? immo non potuit tam parum sibi constans esse Euripides, quod ut nobis persuaderet frustra contendit et laboravit Firnhaberus[225]), quanquam recte hoc concedemus, ut a liberandi consilio exequendo Achillem destitisse putemus. neque ineptissimam nulloque modo probandam esse hanc Achillis descriptionem negavit Vitzius, quare, quoniam servandum epilogum ideoque turpissimis vitiis purgandum sibi proposuit, sicut alios versus hac in fabulae parte ab antiquo suo interpolatore inculcatos esse statuit, seclusit versus 1568 sq.[226]), qua in re nihil illum profecisse consentaneum est, si quidem alia vitia eaque maxima secludendo tolli non posse supra monui[227]). minime vero, cetera hoc loco ut praetermittamus, hos quidem versus ab interpolatore additos esse veri simile videtur, propterea quod, re vera si Euripides quam Achilles habet orationem Calchanti tribuisset, Pelidae mentionem ita ab aliquo additam esse ut illius fierent verba quae sacerdotis fuerant parum probabile est.

Deinde quod totius epilogi attinet compositionem, nego ab Euripide in extrema fabula praeter nuntium ab Agamemnone iussum ipsum quoque Agamemnonem introductum esse, quoniam

---

[225]) l. l. pag. 286 sqq.
[226]) l. l. l. pag. 13. coll. II. pag. 12.
[227]) vid. hui. lib. pag. 178.

nimis ridicule qui ipse statim secuturus est, ut ceteris narrentur ea quae illo nemo aptius exponere potest, praemittit nuntium. vides igitur me adsentientem Bremio[228]), sicut ceterorum plurimi eum secuti sunt, qui autem ineptae illius dispositionis tutelam gerere conati sunt, Firnhaberus[229]) et Vitzius[230]), ne verbo quidem illud tetigerunt in quo cardo versatur rerum, non sua sponte nuntium in scenam prodire sed iussum ab ipso Agamemnone. Duplici autem ratione ab Euripide hanc exodum institui potuisse apparet — aut enim nuntium fecisset sponte venientem, sponte narrantem, post quem Agamemno in scenam prodiisset nuntium adesse nesciens, aut unum tantum introduxisset sacrificium quomodo evenisset exponentem sive Agamemnonem sive nuntium — : sed quam huic quidem epilogo adhibitam videmus rationem ab ineptissimo illo quidem homine cui ceterae debentur ineptiae plane innumerabiles posse profectam esse concedo, ab ipso Euripide inventam esse iterum iterumque nego.

Constat igitur fere totum epilogum spurium esse. Neque tamen, si duas illas quas supra definire conatus sum inter se comparabimus partes, utramque earum non posse ab uno eodemque interpolatore profectam esse negabimus. nullo enim modo casu factum est ut quae modo enumeratae sunt ineptiae uno tenore sese excipiant inde a versu 1567., quae antecedunt versui 1568. paene nullam praebeant offensionem. etsi igitur eo quod solutionum multo minor numerus utrique inest quam reliquis fabulae partibus haec epilogi membra quodam modo inter se haud dissimilia sunt, alii tamen interpolatori prior pars, alii altera tribuenda est. Prior autem pars, quanquam quo tempore addita sit non potest accurate definiri, quoniam tam ab Alexandrino aliquo cuiusvis saeculi quam ab homine Euripidi fere aequali componi potuit, tamen non dubito quin minorem Euripidem non habeat auctorem. hoc certe tenendum est, non

[228]) l. l. pag. 155.
[229]) l. l. pag. 289 sq.
[230]) l. l. l. pag. 14.

posse ab eo qui hanc epilogi partem conscripsit eas quoque ineuntis et mediae fabulae partes iambicas profectas esse quas suo quamque loco tribui Euripidi minori. nam quae metrica conformatio est reliquae fabulae, cuius quascunque inspicis partes iambicas aversibus iambicis epilogi abhorrere supra demonstravi, eadem obviam fertur illis quoque partibus. illas autem an epilogi hanc partem Euripides minor composuisset cum mihi diiudicandum esset, non erat causa ambigendi, quoniam qui celebris Euripidis aliquam fabulam eo consilio ut sub illius nomine eam in scenam produceret sive absolvit incohatam sive perfectam amplificavit dubitari non potest quin metricam quoque quam poeta ille secutus est tenuerit conformationem.

His igitur perpensis de iure haec statuere mihi videor. Quoniam maior an minor Euripides hanc fabulam ad extremum finem perduxerit nullo modo cognosci potest, Aeliani illi versus, qui quin ex epilogo aliquo desumpti sint non est dubitandum, num ex eo epilogo quo fabula instructa fuit primo desumpti ab Euripide minore profecti sint an alius sint interpolatoris, qui deperditi epilogi refectioni in codice ab nostrorum codicum archetypo prorsus alieno operam dederit, non potest diiudicari, quare eorum non est causa cur amplius rationem habeamus. quo autem instructa primum in scenam prodiit epilogo postquam infelici aliquo casu fabula privata est, truncato sive ipso, ut ita dicam, primo archetypo sive apographo aliquo codice qui nostrorum codicum archetypus factus est, novae exodi addendae negotium homo aliquis suscepit grammaticus, qua in re Hecubae, ut videtur, quandam partem sibi sumpsit imitandam. sive autem ad finem non perductum est hoc opus sive temporum iniquitate in fine est truncatum, multis post annis antiquioris huius epilogi priori parti alteram eam qua nunc fabulae finis imponitur homo aliquis adiunxit Byzantinus, cuius satis accurate cognosci mihi videntur vestigia. quoniam autem ab Iphigeniae condicione in Dianae ara moriturae paullum distare vidit Polyxenam sanguine suo Achillis manes placaturam, non est mirandus ille quidem homo quod Hecubae eam partem qua Polyxena quo modo mor-

tem subierit narratur usque adeo imitatus est ut ad taedium res adducta sit: quis enim quaeso nisi imitando prorsus deditus Byzantinus homo eo procedere poterat perversitatis ut Achillem iuvenem, quem Euripides defensorem atque amatorem Iphigeniae descripserat, ad Neoptolemi exemplum crudelem virginisque morti intentum fingeret reliquae fabulae ac singularum partium concinnitatis nulla habita ratione? ceterum, iterum ut inspiciamus metrorum conformationem, aetatis inde petuntur indicia satis recentis. etsi enim iambicorum numerorum nondum interiit notitia, prosodiacae tamen artis paullatim evanescunt leges, quibus autem in rebus tragica ars discrepet cum comicorum consuetudine, tragico poetae quid liceat, quid non grammaticus nullo modo habet cognitum. inde longae et brevis syllabae passim immutatio, inde parvus ille numerus solutionum sed et anapaestorum quoque usus nulli plane legi adstrictus, inde denique Porsoni canon varie neglectus: quibus in rebus mirum in modum cum hoc epilogo Iphigeniae Aulidensis concinit quod in codice Palatino eum excipit Danaes exordium, nemini nostrum non spurium visum quamvis minus apertis vitiis laborans. et ibi quoque quamvis solutiones insunt perpaucae, neque anapaesti desunt in mediis versibus neque syllabae longae ampliorum vocum ultimae creticis vocabulis antecedentes in versuum finibus. occurrunt enim in trimetris undequinquaginta pedes soluti duo, totidem autem anapaesti et Porsoni canonem aspernatae dipodiae. denique eas partes si inspicimus quibus melicos numeros apparet expressos esse, in eadem offendimus inertia paene incredibili utroque in loco.

Quae cum ita sint, licet opinor hanc facere coniecturam, ut priorem quidem huius epilogi partem qui deperdito genuino epilogo composuit quo tempore vixerit negem ullo modo accurate definiri posse, sed alteram partem qui supplevit non dubitem quin et homo fuerit ineunte vel ipsa Byzantina aetate multo recentior et eorum qui Iphigeniam Aulidensem qualis ad nos pervenit varii varie tractarunt, si singulorum codicum excipias correctores, fere ultimus.

Quoniam nunc in finem disquisitionis perductus eo perveni ut ex computatis et inter se comparatis singulis locis de totius fabulae condicione quid statuam mihi dicendum sit, primo loco moneo ab Euripide fabulam non omni ex parte absolutam et ad finem perductam esse neque ex ipsius fabulae forma ac condicione colligi posse, si quidem neque quis versus illos anapaesticos (vers. 590.—597.), omni modo illos quidem necessarios, composuerit diiudicari potest et quae nunc finem fabulae imponunt quin factae iacturae compensandae causa addita sint non potest dubitari, cetera autem eorum quibus careri non potest aut ita comparata sunt ut de iure Euripidi abiudicari non possint aut lacunis sive expletis sive adhuc hiantibus deformata sunt talibus quales ab Euripide non sunt relictae, neque qualicunque argumento aliunde petito suaderi aut scriptoris cuiusquam testimonio. quae cum ita sint, minori Euripidi, quem id agentem ut Iphigeniam Aulidensem in scenam produceret fabulam a maiore Euripide non omni ex parte absolutam perpolisse et ad finem perduxisse coniecerunt, ego quidem dubitavi quicquam tribuere nisi quod non ab ipso Euripide profectum esse ipsius fabulae monstraverit compositio, unde in antiquissimi interpolatoris locum merito illum depressisse mihi videor

Deinde quae Euripidi tribui non possunt aut ut adverso casu ortae lacunae explerentur fabulae reficiendae causa addita sunt aut amplificandi gratia temere ab interpolatoribus sunt inculcata aut ab lectoribus sive interpretandi causa sive ad similem aliquem locum in memoriam revocandum in margine adscripta

fuerunt, unde librariorum vel correctorum inscitia in genuina poetae verba recepta sunt.

Ut igitur quid de fabulae refectoribus statuendum mihi videatur moneam, duos illos fuisse, quorum alter vigentis adhuc ac florentis linguae, alter ad exitium ruentis aequalis fuerit, cum accuratissime intelleximus fabulae epilogo[231]) tum condicione firmatur reliquarum partium. Interpolatores autem de iure tres distinxisse mihi videor. quem in numerum inde incidi quod et ex argumentis et ex causis addendi addidamentorum genera accurate internoscuntur tria, quae item tam metrorum aut apte nulloque cum labore compositorum aut neglegenter et aegre factorum quam sermonis partim splendidi ac vere poetici et ne ipso quidem Euripide indigni partim frigidi ac simplicis et ne vitiis quidem carentis inter se differunt insignibus. insunt enim ab Euripidea fabulae compositione et personarum descriptione aliena primum qualia dubitari non potest quin inde orta sint quod qui addidit lacunas explere sibi visus est, tam oratione quam metrorum conformatione nec non sententia fere Euripidea illa quidem insignia, quae adsignare non dubitavi Euripidi minori, de quo ut Aeschyli Sophoclis Euripidis Aristophanis aequali et in Euripideis fabulis in scenam producendis ipsis eis temporibus versato quibus ad summum fastigium tam eruditio quam litterae excitabantur longe aliter ac Vitzium[232]) me iudicare identidem monere me memini[233]). deinde autem quae praeterea ingesta sunt addidamenta ex petulantia soloque amplificandi studio interpolatorum nata sunt ad unum omnia, et ita quidem ut argumenta ab ipso interpolatore inventa aut aliunde deprompta una pars, ex hac ipsa fabula desumptas sententias praebeat altera pars. duo autem illa addidamentorum genera ut sententiarum incommoditate, ex parte autem metrorum minus apta compositione vel sermonis vitiositate a priori genere

[231]) vid. hui. lib. pag. 184.—186.
[232]) vid. hui. lib. pag. 22. 23.
[233]) vid. hui. lib. pag. 23. 46. 52. 80. 83. 128.

distinguuntur ita inter se accurate differunt eo nomine quod id quod altero loco posui sermonis vitia quaecunque in interpolatorum addidamentis obviam feruntur merito prae ceteris reprehendenda continet omnia[234]). hanc igitur causam habui cur in eam quam quae inter argumenta ex ipsius interpolatoris ingenio nata et illa ex hac ipsa fabula desumpta intercedit discrepantia suadebat sententiam discesserim, ut duos praeter Euripidem minorem in hac fabula grassatos esse statuerem interpolatores, quorum alter, sui iuris homo ille quidem et rectae loquendi consuetudinis satis peritus, temporis satis antiqui, alter tantum non infimae aetatis aequalis fuisset.

Euripides minor igitur, cum in eo esset ut pulcherrimam hanc tragoediam, qua antequam praemium certaminis auferret auctor e vita discessurus erat, doceret in scenam producturus, de suo videtur nonnulla addidisse, quibus careri non posse immerito putavit, nisi forte, id quod dubium videtur, etiam versus 590.—597., quibus careri prorsus non potest, supplevisse existimandus est. quae autem ab Euripide minore profecta putavi manifesto spuria haec sunt, vers. 124.—132. vers. 959.—972. exceptis versibus 963 sq.

Deinde primum lacerata atque in fine truncata fabula[235]) sive fere antiquissimo tempore sive Alexandrini aevi aliquo saeculo videtur refecta esse, id quod accuratissime doceri puto exodi parte priore, quam etsi spuriam esse negari non potest, nulla tamen ex parte merito reprehendi concedendum est. eidem autem grammatico cui haec debetur exodi pars, vers. (1540.)—1567., choricos illos versus 764.—767. tribuere non dubito, quippe quibus metrorum recte componendorum neglegens quidem nec tamen imperita aetas indicatur.

Sequitur recentiorum illorum interpolatorum prior, quem cum et ab altero modo definite distinxerim et supra passim

[234]) vid. vers. 22. 93. 342. 598.—606. 953. 954. 963. 1193. 1264. 1409. 1431.
[235]) vid. hui. lib. pag. 185.

notaverim[236]), hic non est quod addam. videtur autem haec inculcasse, vers. 231.—302. v. 338. v. 365. vers. 368 sq. v. 374. vers. 413 sq. (vers. 420 sqq.) vers. 440 sq. vers. 773.—783. vers. 805.—809. v. 925. vers. 981.—989.

Satis magno autem temporis spatio interiecto amplificandi munus longius persequendum interpolator ille suscepit recentissimus, quem utpote in fabula tanquam ipsa fabula augenda delectatum et ne linguae quidem per leges quid liceret, quid non satis expertum nescio an recte tantum non infimae aetatis aequalem dixerim. ceterum de arte eius atque ingenio quid statuendum mihi videatur cum non habeam cur repetam[237]), hoc loco quaecunque ab hoc interpolatore profecta esse putavi enumerasse, accurate autem unde argumentum quodque desumptum videretur apposuisse satis habeo. sunt autem haec. v. 22. (cf. v. 19.). v. 93. (cf. quae proxime antecedunt). v. 342. (cf. qui proxime antecedunt versus tres). vers. 598.—606. (cf. quae secuntur inde a. v. 615.). v. 899. (cf. v. 897.). v. 910. (cf. vers. 938 sq.). vers. 946 sq. (cf. vers. 938 sqq.). vers. 953 sq. (cf. vers. 944 sq.). vers. 963 sq. (cf. vers. 884 sq. vers. 905 sqq.). vers. 973 sq. (cf. vers. 901. 916. 948 sq.). vers. 1191.—1193. (cf. vers. 1179 sqq.). vers. 1264.—1268. (cf. vers. 391 sqq., ubi eandem Agamemno eadem de re praestat acerbitatem, et v. 1381. inprimis autem versus 1267 sq. compara cum vers. 531 sqq.). vers. 1409 sq. (cf. vers. 1395 sqq.). vers. 1431.—1433. (cf. quae proxime antecedunt). v. 1439. (cf. v. 1449.).

Interpolatorum autem illa opera amplificatam tragoediam nescio qua temporum iniquitate denuo male tractatam et tam in interioribus quibusdam partibus mutilatam quam fine privatam a Byzantino aliquo grammatico pro viribus quantum fieri posset optime suppletam ac refectam esse inde videtur statuendum esse quod et epilogi pars posterior[238]) et qui per totam fere fa-

---

[236]) vid. hui. lib. pag. 52. 56. 59. 135 sq.
[237]) vid. hui. lib. pag. 83. 133.
[238]) vid. hui. lib. pag. 185. 186.

bulam versuum male refectorum dispersus est magnus numerus ingenium et artem prodit infimae aetatis hominis. huic tribui licet quae non licet alii, scilicet exodi eam partem quae versum 1567. excipit, deinde v. 464. vers. 535 (sqq.). vers. 635.—637. (vers. 638 sq.) v. 652. v. 748., denique versus illos ex deperditorum vestigiis male restitutos 665 sq. 1380. 1407.

Post hominem vero illum Byzantinum praeter correctores, quales cuiusque fabulae codices tractarunt, nullus usquam extitisse videtur fabulae vindex, etsi ne tum quidem nostrorum quidem codicum archetypum vexare desierunt temporum iniuriae, id quod praeter melicas partes passim misere laceratas omnique sensu sententiarumve conexu prorsus carentes[239]) tam lacuna illa in codice Palatino post versum 812. indicata quam versiculi versui 1179. vicini nescio qua vi expulsi docet defectus, quas lacunas, si tum temporis illae quidem hiassent, vel Byzantinus homo explevisset. Quod contra varia variis si forte temporibus in margine sive interpretamenta adnotare sive ex alio quo loco desumpta comparandi causa adscribere nunquam desiit lectorum sedulitas, in poetae verba autem illa recipere non destitit librariorum vel correctorum stultitia. sic interpretamenta immerito genuinis immixta haec deprehendere mihi visus sum, *πόλισμα Τροίας* (v. 777.). v. 1270. v. 1293. *Εὐρίπῳ* (v. 1323.). v. 1382., locos autem aliunde desumptos notavi hos, vers. 508. —510. vers. 920.—923. v. 958. vers. 1162 sq. v. 1327. v. 1545. (cf. v. 514.).

His expositis nisi quod v. 678. librarii errore duo hemistichia excidisse, inter versum autem 1425. et versum 1427. quo prior adfectus erat vitio attractum versum 1426. irrepsisse moneo de Iphigeniae Aulidensis forma ac condicione non habeo quod amplius dicam: quare finem facio quaerendi.

---

[239]) vid. hui. lib. pag. 77.

Berolini apud Weidmannos (J. Reimer).

Berolini typis W. Pormetter.

27. 3 18

